



V
B
J
C

Manus Dni tekgue


1873 - I. 125.

25 ic.

z. Bl.

FLORES
INDICI
Sive.
DOCUMENTA
Ex aureis Sancti Indiarum Apostoli.
FRANCISCI
XAVERII
S. J. Epistolis decerpta,
Et per singulos totius anni dies distributa.
Addito Indice
reimpressa,
Permissu Superiorum.

BRUNSBERGÆ
Typis Collegij Societatis Jesu,
ANNO MDCCVII.



Ad LECTOREM.

Ætatis hic, quam vivimus, genium sequor: peregrina domesticis præplacent, dũ tantum dono accedit gratiæ, quantò magis dissito venit è climate. Flores offero; non quos obvia olitoris manus vicina decerpsit ex areola, sed quos orbis alius educavit. Habes in his quam sæculi hujus ingenium tam perditè deperit,

 sum-

ſumptam à longinquitate raritatem; Indiâ quippe veniunt & Iaponiâ miſſi: Néve in iis, quod florum aliàs vitium eſt, decoris inconſtantiam incuſes, ſemper hi vernant, & novæ quotidie in folia explicantur, modò ſint, qui legere in dies velint. Trahũt inſuper ex magni Indorum Apoſt. cujus calamo conſiti ſunt, ſanctitate vim in animos thaumaturgam, ut nec aſpici ſinè fructu, nec legi poſſint absq; emolumento. Accipe faſcem hunc, totidem, quot annus dies numerat,

merat, floribus, temere, ut fors tulit, congestis, variũ. Nec oculorum isti tantùm delitiis, ùt florum pleriq;, serviunt, sed & utilitati. Xaveriani non essent, si animæ tuæ fructum non respicerent. Is floribus istis super Panchæos odor, & super Hyblæos vis inest medica, ut vel modicè delibati non possint non animæ tuæ summè esse salutares. Quod ut feliciùs eveniat, mens Divi Gentiũ Apostoli brevi consideratione promota viam tibi pandit, & invitat, qua in pias ulteri-

ùs abire cogitationes, & sancta desideria possis. Utinã quo spiritu ab ardenti hoc animarum zelote scripta, quâve intentione tibi nunc oblata sunt hæc salutis monita, ea tu eâdem aviditate accipias, constanter utaris; ita tenui opellæ nostræ pretium, & Magno Indiarum Apostolo solatium, sed & animæ tuæ fructum feres.

Quod precatur.

Salutis tuæ avidissimus,

QVæ mors acerbior esse potest, quàm sinè Christo, ubi eum semel gustaveris, vivere, eumque deserere, tuas ut sequaris voluptates? Mihi credite, nulla crux est cum hac cruce comparanda. *S. Xaver. libro pri. epist. 1.*

Ita constituta est rationalis creatura, ut si convertatur ad bonum Incommutabile, beata fiat: si avertatur, fit miserrima.

Ubicunque infra Deum moretur anima, etsi magnum aliquid & jucundum se reperisse credat, misera est, quia indiga; indiga, quia caret eo, in quo & per quem sunt omnia, sinè quo nihil sunt omnia.

Aspiratio quotidie iteranda.

O Magne Sancte INdorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater, & Patrone mi singularis Sancte Francisce Xaveri, memento: quanto animarum Deo lucrandarum Zelo flagraveris. Rogo te per JESU & MARIÆ amorem, per tuum animas lucrandi desiderium, habe curam animæ meæ, qui plus quam duodecies centena millia cœlo lucratus es, lucrare & hanc animam meam. Fac ut salutare tuum documentum intimè agnoscam, integre sequar, constanter servem, donec ad te evocatus, Deum, pretiosissimam ejus, & meam Matrem, laudem, amem, & glorificem in æternum, Amen. 2 *Jan.*

TOedet me interdum vitæ, ac satius esse arbitror pro Religione mortem oppetere, quàm in tot tantisque Divini Numinis contumeliis vivere; cùm præsertim eas non possim non videre, prohibere non possim. *S. Xaver. lib.* 1. *Ep.* 7.

Si vicinum scelus tantùm affligit, quid doloris par foret sentire eum, qui hujus perditorum massæ compars malum auget?

Malè impunitatem tibi suadet peccantium multitudo. Vt non minùs peccat, qui cum multis, ita non minùs ardebit, quia cum pluribus. Frequentia scelerum nón minuit, sed provocat vindictam.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

SI quem à meis Fidelissimis atque amantissimis Consiliis non abhorrere arbitrarer, saluberrimum eidem darem Consilium: ut quotidie per quadrantem horæ Divinam illam sententiam meditando: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* germanam ejus intelligentiam à DEO peteret. *S. Xav. lib. 2. Epi. 5.*

O anima, imago Dei, quis te satis æstimat, satis curat? pro te vitam, & sangvinem Deus ponere dignatus est, cujus nec stillam pro toto extra te mundo posuisset.

Hoc porrò unum est necessarium, hoc negotium negotiorum: Salutis cura.

HÆc quæ dicitur vita, nihil est, nisi perpetua quædam mors, & exilium à cœlesti felicitate, ad quam procreati, natíque sumus. *S. Franciscus Xav. lib.* 3. *Epist.* 4.

Quid miserabiliùs, quàm animam ad *Deum* possidendum creatam, periturarum rerum commerciis occupari; quámque sempiternis gaudiis Author destinavit, brevibus nugis, dicam potiùs, quàm gaudiis distineri! Pondera hinc momentum, inde Æternitatem.

Si quis internæ dulcedinis aliquando stillam gustavit, ille sciet, quanta hujus ad æternam comparatæ vitæ sit amaritudo.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c.

SI quæras Deum in veritate, atque iis, quibus ad eum pervenitur, itineribus strenuè ingrediaris, profectô tantum ex ejus obsequio lætitiæ manare senties, ut quidquid est in sui victoria acerbitatis, atque amaritiæ, facilè mitiget, ac leniat. S. *Xav. lib.* 3. *Ep.* 5.

Quid ei triste possit accidere, qui adhæret summo Bono? gaudia omnia, quæ infra istud sunt, vel mendacia sunt, quæ decipiunt, vel inania, quæ non satiant.

Sunt qui ad speciem quærunt Deum, colorem virtutis mentiti; seipsos decipiunt, quia pace destituuntur, quæ veræ virtutis præmium est.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. fo 2.

QUid boni nôsse potest, qui Deum, Christumque ejus Filium ignorat? S. Xav. lib. 3. Ep. 4.

Oculi vitium est solem, cùm maximè fulget, non videre. Omnis hominum Beatitudo est Dei cognitio; infelices, cùm nostram ipsi felicitatem vel non agnoscimus, vel non æstimamus. Erramus sinè termino, & quò feramur, nescimus. Ut quid aliunde accersimus, quod domi nostræ nascitur?

Qui aliis infra Deum plus nimiò occupantur, vanis gravati mentem ad Dei cognitionem vel non valent elevare, vel timent, ne si Deum agnoscant, aliter vivere cogantur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

PLanè ita fit, ut qui per vitam de se ad mortem præparando non cogitaverint, eis mortis necessitate ingruente Dei meminisse non vacet. *S. Xav. Ep. Novar. li.* 1. *Ep.* 3.

Damnosissima hæc unà & frequentissima mortalibus incuria est, nescire mori. Ingeniosissimum ego eum habeo, qui mori noverit.

Vivimus, quasi nunquã morituri. De morte cogitam9, quasi de rerum remotissima. Quæ prima ordine & dignitate foret cura, inter novissimas reponimus. Væ imparatis! justo *DEI* judicio accidit, ut, qui se parare, cùm posset, noluit, non possit, cum velit.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, &c.

CVrabis, ut semel, bisve quotidie te ipse ad cognitionem exerceas, tum communem omnium illius diei cogitationum, & actionum tuarum, tum verò propriā eorum, in quibus aliqua per id tempus præcipuo studio vel præcavēda, vel corrigenda, vel ad perfectum expolienda susceperis. *S. Xaver. lib. 4. Epist. 19.*

Quomodo salutem tuam curabit Deus, si tumet eam negligas? calceos luto expias, & animæ sordes, usque ad putredinem negliges? pudeat! pecuniarias inire rationes vacat, non vacat magè salutares cum anima.

Quid insolentiùs, quàm conscientiæ suæ infra pecudes curam habere.

CAvendum ne humanis præsidiis freti, deperdamus aliquid de fiducia DEI.

S. Fran. Xav. lib. 2. Ep. 3.

Fulcro nixus imbelli nihil certiùs habet, quam ut ruat, casúque suo doceat, neminem basi suâ firmiùs stare. Fallax est omnis spes humana; certiorem fidejussorem, qui pro ea spondeat, non habet, quàm Favorem; sed & hic instabilis cùm sit, quid mirùm, quòd toties illudamur.

Promissa hominum si spectes, & multa & grandia esse nihil communiùs. Verùm scito: dare pollicita, quàm danda polliceri operosiùs esse; promissa manum non implent.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. fol. 2.

PRofectò miseri falluntur, qui studia ad privatam magis referunt, quàm publicam utilitatem. *S. Xav. lib.* 1. *Epist.* 5.

Illa, quæ tu putâsti bona: virtutem, scientiam, cùm ultra te non proficiscuntur, bona esse desinunt. Si me rogas, quid sit bonum? dico bonum debere esse sui communicativum, pluribus commune, rem omnium. Quid aurum valet secum sepultum?

Philautia turpis est sui unius curam habere; generosa mens sui quodãmodo immemor, vicina ad emolumenta pervigil, cum candela sibi consumitur, ut luceat aliis.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, &c. fol. 2.

MAgnopere hortor, ut vobis ipsi (quod caput est) primùm attendatis, Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit? quî alios curare potest, qui se ipse negligit? quî tandem attentus ac diligens erit in alienis rebus, qui est dissolutus in suis? S. *Xav. l.* 3. *Ep.* 5.

Quanta mortalibus consilii est inopia, dum nobilissimâ sui parte neglectâ diffunduntur in vicina? Si duodecimam curæ partem quā in vestigandis proximi vitiis dedimus, nobis impendissemus, jam pridem boni essemus.

Magnum benè compositæ mentis argumentum esse duco, posse consistere, & secum morari, ut domi suæ lyncem, alienæ talpam agat.

TAnta est vis & copia gaudiorum, quæ Deus suis operariis in barbarie excolenda sedulò laborantibus elargiri solet, ut, si quæ vera est, ac solida in hac vita jucunditas, hæc una mihi esse videatur. *S. Xav. l. 1. Ep. 5.*

Illud dicendum est gaudium, quod hic inchoatum finem nesciet; mundi gaudio dixi: *Quid frustra deciperis?* Est cortex & inanis umbra gaudiorum, profundè non penetrat.

O proculà me facessant gaudia, quæ sempiternis olim lachrymis erunt eluenda. Ridemus, jocamur in rebus pessimis, quarum conspectu Angelis probitatis nostræ custodibus fletum ciemus.

O magne Sancte! &c. fo. 2.

NIhil magis confirmat in audacia, provehitque ad rebellionem contumaces subditos, quàm experimentum infirmitatis in præsidibus; quos ubi animadverterint circũspectare, & vereri, nec audere pœnas indicere, reverentiam Majoribus debitam & obsequium negantibus, immanè quantùm inflantur usquè ad insolentem præfidentiam. *S. Xav. Ep. nov. l. 6. Ep. 5.*

Regnant vitia, non quòd plurimi sint, qui peccant, sed quòd rarus plectatur.

Dissimulat aliquando Deus punire delicta, impunitatem via unquam: punit eos, qui punire neglexerunt.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, &c. fo. 2.

QVantumvis vitæ discrimen, præ cœlestibus gaudiis, quæ in tali re ac tempore pro Deo laborantibus divinitùs dari solent, est contemnendum. *S. Xav. l. 2. Ep. 3.*

Sic perdere lucrum est, ubi vita hæc mortalis pro Deo ponitur; non est hæc mors dicenda, sed vitæ melioris arrha: quæstuosissima commutatio! dum brevis æternæ, misera felicissimæ commutatur.

Liberale Numen grandi fœnore parva compensat: conatus sui causâ tentatos tantâ interioris gustûs ubertate afficit, ut svavitatis hujus incapax pectus aut solatia minui, aut corpori vires addi postulare cogatur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

HOc minore Divinæ clementiæ spe, fiduciâque moriuntur, quò majore antè audaciâ in sceleribus atque flagitiis volutabantur. *S. Xav. lib.* 2. *Ep.* 3.

Triste spectaculũ! ubi mens, quæ in spe agendæ sub vitæ finem pœnitentiæ confidentiùs peccaverat, nunc contra spem peccata peccato periculosiori consummat. Justissima Dei pœna est, ut abusus Misericordiâ, victima fiat Justitiæ.

Amara sententia! *pauci electi.* Et quomodo? an non multi ante agonem peccatis animam expiant? Pœnitentia nempe sera rarò seria. Revocari lapidis lapsus ægrè potest, dùm est in præcipiti.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SI quid magnas habere videtur difficultates, cave propterea ab incepto deterrearis; prima quippe ac potissima difficultas in nobis est. *S. Xav. l. 2. Epist, 5.*

Ex timore non sunt metienda pericula. Plura terrent, quàm premant. Ne sis miser ante tempus. Quid necesse est mala ultrò accersere, & præsens tempus futuri metu amaricare? Malum est absque remedio, timere, quæ possent accidere; Hoc metu qui tangitur, ante necessitatem angitur, & ultra necessitatem affligitur.

Timor non est nisi mali imminentis. At nulla, quæ vulgus mala dicit, talia sunt, cur igitur ea pertimescam?

O magne Sancte! &c. f. 2.

INfidelium, ſceleratorumque hominum proprium eſt, ut anxiam & deſperatam vitã trahant: atq; id ipſum Dei beneficium eſt, ut eâ re admoniti aliquando reſipiſcant. *S. Xav. l. 1. Epiſt. 1.*

Malè agere ût res eſt plena periculi, ita eſt pleniſſima anxietatis. Malus nuſpiam ſecurus nemine perſequente timet, quia ſceleris commiſſi memoria non deſinit caſtigare. Maxima ſceleſti pœna eſt deliquiſſe; ſcelere plectitur ſceleſtus; infernum in ſinu circumfert.

Secretum nihil profuit malis, deſint licet conſcij, non deerunt timores, minùs detrimenta. Time magìs conſcientiam, quàm famam.

O magne Sancte! &c. f. 2.

VIx dubitatur fieri non malè, quod impunè fit. S. Fran. Xav. l. 5. Ep. 7.

Absit misericordia, quæ tam graviter, tàmque latè nocet, mitis in unum malum, in bonos omnes inclemens. Qui non castigat vitia, quæ potest, amat; perfrictæ frontis vitia sunt, tolerata semel, audaciora repullulant, easque neglecta radices agunt, ut quæ principio levi manu, aut verbo, evelli poterant, nunc ascias inutiliter fatigent, & tundant.

O quàm alia foret Reipublicæ facies, si tribunalia, & quorum manibus commissæ sunt secures, non tam parci essent nocui sangvinis!

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

PErdere nos DEUS jure posset, tamen pro sua clementia in nostris delictis sæpius connivet, in difficultatibus subvenit, ut vincat in bono malum. S. *Xaver. l.* 1. *Ep.* 7.

Si ad demeritorum nostrorum pondus pœnas æquaret Deus, ubi essemus? Parcit tamen, ut ametur; non ut novis ad vindictam sceleribus provocetur.

Ignoscit uni Deus plurima, dum primum in altero crimen plectit: Latronum unus Paradisum, interitum alter assecutus. Time Justitiam, dum amas bonitatem, nec hâc in præsumptionem, nec illâ in desperationem abutere.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

UBi (alienis inhiantes bonis) evocantur ex hac vita, miſerabile eſt, quàm malè ſubductis, quàm perditè confuſis ſpei ac ſalutis rationibus infelices animæ ad tribunal inexorabile ſiſtantur. *S. Xav. lib.* 5. *Ep.* 7.

Nummus mancipium eſt ſcientis uti, Dominus ignorantis; benè partus poteſt beneficium eſſe ſalutis, iniquè corroſus lytrum eſt perditionis.

O improvida futurorũ mortalitas! ut filii cognatique ſplendidiùs helluentur, æternæ te rerum facis infelicitatis! ut illis aliquamdiu ſit benè, vis tibi æternùm eſſe malè! O præpoſtera dilectio!

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. f. 2.

SI quando à Diabolo, ab hominibus, à rebus aliis cœlestis Numinis permissu exagiteris atq; vexeris, tum tibi persvade: aut virtutem exerceri, aut vitia & delicta expiari. S. Xav. l. 3. Ep. 5.

Nullibi virtus citiùs addiscitur, quàm ubi Magistram agit Calamitas. Conjungere DEO, & sustine; plus gloriæ sibi Deus tribuit, cùm te lecto affigit, quàm illi dent sancti, & Angeli omnes in cœlo.

Si vacare nequeas, quæ deperis, virtutum operibus, Deo congaude, quòd ipse te reddendi inhabilem, opus fecerit eximi magis, quàm tu præstares rigore æternùm duraturo.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

SI qui obtrectent, de illorum vocibus non magnopere laborabis, ne quis animadvertat te homunciouum vocibus à Dei obſequio abſterreri. *S. Xaver. apud Turſell. li. 6. ca. 18.*

Putas unam omnium tecum eſſe ſententiam? non eſt unius una. Contumelia ſi judicium eſt? ſit tibi ad cautelam, ſi mendacium? eſt pudor dicentis. Si invidus lingvæ, tu aurium tuarum dominus eſto, audi ſinè motu. Nulla contumelia eſt, niſi feceris tibi.

Intereſt multùm, quis tua cenſeat; præſtat placuiſſe ſapientum uni, quàm integro mũdo malorum. Valde infirmus eſt, quem tactus quivis ad dolorem commovet.

MEntis candor atq; simplicitas Sancti Spiritûs gratissima sedes est. *S. Xav. ap. Nadasi l.* 2. *Ep.* 20.

Non est vitium homine indignum magis simulatione. Subtile & frequens malum, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Mixtura falsi plumbeæ materiæ similis est, quæ efficit sanè, ut faciliùs cudi possit metallum, sed ita, ut vilius fiat; spuria moneta, ubi ad probam venit, non subsistit.

*A*page personati virtutis simulatores! Si appetis videri, cur non esse, bonus? Pudet te nempe tui, si qualis es, agnoscaris. Quod turpe est apparere, turpius est esse.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

NOstro vitio fit, ut *Deus* nobiſcum minùs ſuarum opum communicet. *S. Xav. lib. 4. Ep. 5.*

Invigilamus in lucra omnia ſoliciti, & ingentium opum congerendarum occaſiones inconſulti prodigimus, dum theſauros, quos ærugo & tinea demolitur, æternis anteferimus. Etiam in his parſimonia eſt maximũ vectigal. Si divitias quærimus, veras quæramus.

Liberaliſſimus *Deus* gaudet eſſe beneficus, expectat qui accipiant, promptior ipſe largiri, quàm nos accipere. Non putei, ſed ſitulæ minoris vitio accidit, quòd tam parùm aquæ hauriamus ex patulo.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole &c. fo. 2.

ITa utendum amicis, quasi non tu quidem illis, sed illi tibi olim infensi, infestique futuri sint. S. *Xaver. apud Maffl.* 1 *ep.* 2.

Non sunt amici omnes qui agmine magno nostra terunt limina, non nos, sed se, & sua quærunt; multi veniunt, ut fiant ditiores, pauci ut sanctiores. Errat, qui istorum vultibus & verbis credit; hominum effigies habent, animos harpyarum.

Multùm præstiteris, cum dederis amicum, rem non tantùm domibus, sed sæculis raram: quæ non alibi magis deest, quàm ubi creditur abundare. Nullus mihi hominum inimicus, sed amicus unus DEus.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

DUo sunt quæ maximam spem adferre debent, Sathanæ impedimenta perrumpendi: præclari consilii conscientia & providentia Divina. S. Xav. l. 3. ep. 3.

Imbellis Dæmon, inimicus omnibus, nulli noxius, nisi volentis hostiles eius machinæ nostris, qui volumus, commodis servire coguntur; quibus nos præcipites agere parat gradibus in ruinam, iisdem viam sternit ad coronam.

Utinam sciat homo, quid Deo adjutore possit! nullus tam solicitâ curâ protegit Pater filium, quâ suorum commodis & tutelæ omniscius ille oculus & mens omnipotens providet.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. fo. 2,

INtemperantes vitam suam sæpe medicis credere coguntur; qui vix demum post multos errores, & inanes curationes morbis faciunt medicinam. S. *Xaver. lib.* 3. *ep.* 5.

Brevem palati gustum quantus sæpe totius corporis dolor excipit! voluptatem modicam ingens morborum agmen comitatur. Nihil magis ætatem auget, quàm cibi & potûs parsimonia, & immobilis inter prandii & cœnæ tempus abstinentia.

Nihil hominem propiùs ad belluas abjicit; quàm ingluvies; abjectum vitium! hoc metam nescit in homine, quam natura statuit in animali.

O magne Sancte! *Indornm Apostole* &c. fo. 2.

QUorum virtus in ærumnis, & insectationibus spectata non est, his nihil magnum rectè committitur. S. *Fran. Xav. li.* 4. *ep* 9.

Impatientia nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat: non aliâ hoc, quàm ferendo, arte minuetur. Nolendo pati, malum malo superaddis. Quis obsecro tibi malum inferet, si quod infertur, numeres inter bona?

Mœstitiam suborientem levet spes auxilii proximè adfuturi. Non solet tribulatio continuò premere, neque ulla est tam severa, quæ lenimen non expectet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

CIbariorum copia cupiditates excitat, atque alit adversus frugalitatem ac temperantiam: ex quo vulgò multa, graviáque accipiuntur vel animorum detrimenta, vel corporum. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Plurimos gula occidit, nullum frugalitas: innumeris pocula nocuerunt, parsimonia nulli. Malæ Dominæ servit, qui gulæ suæ mancipium factus, nutrit concupiscentiam.

Non fames magnò nobis cõstat, sed appetitus, cui dum morem gerimus, corpus nutriendo, animæ nocemus, mergimus innocentiam.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater, & Patrone mi singularis &c. fo. 2.

NVlla est certior, tutiorque ratio rectà sinè errore ad perfectionis apicem veniendi, quàm peritum itineris sequi *Ducem*. S. *Xav. apud Trinkell. die* 8.

Nulla ars absque Magistro discitur. Mechanicæ, quarum objecta palpamus, plurium annorum Magisterio egent, & quæ de invisibilibus est scientia, *Duce* non indigeat?

Arrogans nimiùm est, qui hîc sibi fidit; nemo suspectus tibi graviùs sit, teipso. Sua cuique magis expavescenda est imbecillitas, quàm quidquid ulla minari possit crudelitas. Sequere, si non vis errare.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. folio 2.

ABsque demiſſione animi, perfectáque ſui ipſius cognitione nec tibi, nec aliis prodeſſe poteris, nec *DEO* charus eris. S. *Xav. ap, Trinkel. die* 11.

*R*es inter humanas laudabiliùs nihil, quàm animus ſui deſpiciens, & æſtimationis contemptor. Talis virtuti ſervit gratis, quæ nihil ſe pretioſius habet, ipſa ſibi pretium & merces. Viciſſim inter vitia nullum ſtultius arrogantiâ; damnoſa eſt animæ, & corpori nihil prodeſt; ſibi nocet, aliis officit.

Qui ſibi placent maximè, DEO ſummè diſplicent, ſed plerumque nec populus illum colit, qui ſeipſum adorat.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole &c. f. 2.

IN morte majoribus undique nos cinctos periculis, tentationibus, ærumnis vel animi, vel corporis visuri sumus, quàm unquam antea. *S. Xav. l.* 3 *ep.* 5.

Tristem expectet mortem, qui vitam egit justo lætiorem; hæc ex genio acta ingentem momento illi supremo anxietatem creat. Scelerum reatus ita conſciam premet animam, ut jam tum inferni exordia sibi ferre videatur.

Ut dens, quò altius increvit, eò dolentiùs separatur, ita cor, quod terrenis adhæsit pertinaciùs, non sinè violentia revelli potest. Deſere prior, quæ te deserent.

O magne Sancte! &c. f. 2.

EA proportione, quâ sensim deficit vita in virtute transacta, mutatur corpus terrenum in spiritum cœlestem. S. *Xav. l. 5. epist. 6.*

Felix corpus si in divino obsequio, & laboribus animarum causâ susceptis attritum, & collabascens dicere potest: *Nunc dimittis servum tuum Domine!* Vita hæc beatioris auspicium facit, ut quis in corpore quasi extra corpus, mole corporeâ quidem terræ adhuc affigatur, sed desiderio & mente prævolâ cœlum inhabitet.

Lassetur corpus, modò vigeat spiritus; plerùmque non est huic benè, nisi illi fuerit malè: alter alterius deficit incrementis.

O magne Sancte &c. f 2.

Digni quibus misereamur magìs, quàm quisquam invideat, quos ire ac niti cernimus per tam acclivem, abruptámque viam, & improbo conatu laboriosi accensûs nihil aliud, quàm præcipitii periculum, imò certum animæ infelicis exitium quærere. *S. Xav. lib.* 1. *ep.* 3.

Quisquis evasit ad apicem, periculosè consistit; nemini hactenus contigit felicem esse, & semper. Instabilitas fortunæ in naturam transiit, stare nescia.

Vis esse magnus? parvus esse stude. Hàc præcessêre, quotquot ad magna evaserunt

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. fo 2.

O Fratres mei! O mei socii! meliorem DEUM habemus, quàm cogitemus. S. *Xav. apud* Nad. *in hebd. die Domi.*

Amare Deum, quia te creavit, obſervantia eſt naturalis; amare eundem, quia te redemit, obligatio eſt ſervilis; amare illum, quia cœlum promittit, lucrum eſt glorioſum; amare, quia prior amavit te, gratitudo neceſſaria; amare, quia bonus eſt, benevolentia juſta eſt; amare, quia eſt, qui eſt, bonum ſuper omne bonum, hæc ſubtilitas amoris eſt.

Tenues bonitatis imaginariæ ſtillulas avidè captamus, & infinitam negligimus! quàm ſerò te amavi.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Beneficii Divini memoria nos dies, noctésque stimulat ad labores pro optimo Deo suscipiendos, libenter & fortiter perferendos. *S. Xav. l. 3. ep. 4.*

Eo nobis fine beneficia tam liberaliter largitur DEus, ut & nos aliis benefici esse disceremus. Proinde, qui à pravitate proximum revocat, ille accepta è *DEI* manu beneficia beneficio maximo rependit.

Hoc nostræ salutis erit argumentum, si non pro nobis tantùm, sed & aliis soliciti vixerimus. Hoc supremum bonorum operum cacumen est: Communi omnium utilitati insudare.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

NOstram incuriam atque nequitiam semper apud Deum accusare debemus; siquidem nostro vitio fit, ut ille minùs nobiscum suarum opum communicet, minùsque aliis per nos lucis suæ ostendat. S. Xav. l. 4. ep. 5.

Quanta per nos operaretur suprema mens, nisi nos ejus providentiæ subtraheremus! Dum dispositionis ejus seriem humanis stulti machinis turbamus, uberrimos fructus intercipimus.

Cœci in providentiis nostris sumus, cur non DEI, qui totus oculus est, ductum sequimur?

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

CHristianorum est in Cruce magis, quàm in quiete lætari. S. Xav. l. 2. ep. 12.

Ut Crux fronti, sic & vitæ impressa Christianum discernit à barbaris, hi rerum affluentiâ, pastúsque delitiis beatitudinis centrum definiunt, nos Christianos aliter Dei lex sentire jubet; nobis beati sunt, qui lugent.

Benè tibi est, inquis, utinam benè sit! verùm scito non tunc bene tibi esse, cùm corpori bene est, sed cùm animæ, nisi tu par cum belluis cœlum habeas. Nolo beatitudinem, cujus finis interitus. O non veniat mihi hæc prosperitas!

O magne Sancte! &c. f. 2.

INtemperantes tum multa, & gravia à medicis patiuntur, tum verò vitam suam affligunt, aut etiam extinguunt; longéque plus deinde molestiarum ex medicamentis capiunt, quàm antea voluptatis ex epulis cœperant. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Magnum beneficium duco, si nos in loca à delitiis vacua Deus abducat, ubi ut ut velimus, corpori indulgere non possimus.

Quâ re delectaris? propiùs inspice: avium cadavera, pecorum reliquias, terræ aut maris excrementa tam avidè fames; nec obseruas, quibꝰ mensa brevis, longa illis vita. Parùm sapit, cui nihil sapit, nisi in palato.

O magne Sancte! &c. f. 2.

QUià puero increverint adolescentuli, cognoscendo, venerandòq; DEO, deinde cùm maturuerint, viros bonos, & frugi evasuros credatis. *S. Xav. ep. nov. l. 1. ep. 3.*

Pudeat plus obsequii trunco impendere, quàm tyroni curæ tuæ concredito; multis stillicidiis, fossionibus, putationibus foves surculum, & parvulum in pravos mores luxuriare sinis.

Mores boni hæreditas bona. Abundè ditant, his qui suos dotant parentes: magnarum opum hæredes filios scribere, est ansam eis præbere ut multùm, & se cum illis perdant. Optimæ divitiæ Timor Dei.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

SVppliciter etiam atq; etiam à DEo petes, planè ut tibi ostendat, quibusnam rebus Divinos impedias conatus, quò minùs in te perficiat, quæ velit. *S. Xaverius. apud Turfell. l. 6. c. 16.*

Pars magna bonitatis est, velle fieri meliorem; omnia vitia in aperto leviora sunt, & morbi tunc ad sanitatem inclinant, cùm se produnt. Omnia mala humanæ mentis tunc perniciosissima esse crede, cùm ignorantur. Qui peccare se nescit, nescit emendari.

Desinent vitia, si se sciant quotidie ad judicium vocari. In teipsum severi Judicis partibus fungere.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

NOn vult nos Deus perdere, sed periculis erudire, ut usu docti intelligamus, quàm infirmæ sint spes nostræ, quoties aut nostris viribus, aut præsidiis nitimur humanis. *S. Xav. l. 2. ep. 3.*

Crudelis misericordia! sævitie omni inclementior, cùm suæ homo voluntati relinquitur, nec pro delictis castigatur. Desperata est ægri sanitas, cujus arbitrio cuncta indulgentur. DEI benignitas est, si ad se redire compellit adversis.

Abstrahit DEUS fulcrum, ut casu nostro discamus, quàm fragiliter stet, qui fidit in homine. Vult ut malo nostro discamus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

12. *Feb. Prid. Id. Feb.*

CONcedat per suam clementiam tibi *Deus*, benignèque suppeditet vires animi abundantes, ad ea sensibus, operibus, affectibus agenda, quæ supremo tempore te fecisse gauderes. *S. Xaver. li. 5. ep. 13.*

Nulla est morte melior curarum arbitra: eam in magnis, eam in parvis consulem habe, quid tùm luberet actum, ubi elegans hæc structura corporis in pulverem, unde prodiit, resolvetur.

Originarius ille pulvis sæpiùs mente volutatus omnem nobis vanitatis appetitum eximet ostendet hic crepundia esse omnia, quæ nunc magnifica credimus.

O magne Sancte. &c. f. 1

IIs, qui materiam tibi dans virtutis, ac præmiorum, ingratus non sis; summis precibus pacem eisdem à DEO & veniam ora. S. Xav. lib. 3. epist. 5.

Imbellis est animi injurias novis ulcisci. Magnus animus minoris conatus contemnit. Puta errorem, puta infirmitatem, huic compatere, illi non succense. Si uti æmuli inimicitiâ noveris, benefactorem dices, qui te persequitur, dat materiam Virtutis, nec tibi, si advertis, sed sibi nocet; in te designat ictum, & se vulnerat.

Sed innocens, inquis pateris: hæc ipsa est gaudii materia, si nocens pateteris, dolendum foret.

O magne Sancte, &c. f. 2.

Finge te esse in purgatorio tuorum delictorum luentem pœnas. Feliciter planè tecum actum putabis, cui Deus purgatorii ignis cruciatũ cum istius vitæ molestiis commutârit. S. *Xav. li. 1. ep. 7.*

Multa meriti supplicia pauca sentimus, felices, si dum tempus est, levibus ingentes pœnis redimamus. Ille censendus reliquis felicior, qui pluribus hic calamitatibus involvitur, pro pluribus sic debitis satisfacit.

O si miseræ piacularibus flammis animæ sensum audire liceat! dicet illa, omnes orbis cruciatus in suorum comparatione rosas esse. Deleamus hic quæ possumus.

O magne Sancte, &c. f. 1

MAgnopere vobis suadeo, ut sua quisque sensa animi & pietatis divinitùs hausta literis custodire, & impensè recolere ne gravemini. S. Xav. apud Tursell. li. 6. ep. 13.

Vt manna, quantum indies sufficeret, legere Israël jubebatur, ita populo electo colligenda fragmenta sunt, ne tam ipsa pereant, quàm ipsæ imò & micæ avidâ manu servandæ, quæ de magni Principis mensa in cœlestium rerum meditatione indulgentur.

Nemo omnibus horis sapit, nec eædem semper cœlo veniunt influentiæ. Laudabilis ea est parsimonia, quâ cœlo accepta lumina in futuros usus recondimus.

OMnia incommoda, si Dei causâ, ut par est, subeantur, profectò magna solatia sunt. S. Xav. l. 1. ep. 1.

In manu tua est, si velis, ferrum in aurum convertere; hoc Philosophiæ Christianæ ingenium est, ex adversis eliquare prospera, & aureum ex ferreo sæculum fabricare. Sæpe incommoda non sunt, quæ credis esse.

Detrahenda larva, ne terreat: res terrent, quales videntur, visæ quales sunt, non terrent. Quale de rebus formas judiciū, tales sunt. Eandem regionem unus Patriam, alter exilium habet, quia diversimodè de eadem judicant. In te stat, ut nihil incommodi patiaris.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

NOn parùm commoveor injuriâ multorum vitæ uſu nobis variè notorum, quos differre video executionem bonarum cogitationum, ſanctorúmque deſideriorum DEO ſerviendi, quibus impelli ſe fatentur. *S. Franciſ. Xav. ep. Nov. lib.* 1. *epiſt.* 3.

Malè metuo, ne tempus pia vota differentibus tale ſuperveniat, quo tempore facere quod decreverant, ardentiſſimè optantes nullâ ratione poterunt. *Idem ibidem.*

Imbelles animæ! Semper ad ictum accinctæ promiſſa perpetuant. Si vis poſtea, cur non in præſenti, ut & voluntatis & facti commendationem merearis?

O magne Sancte, &c. f. 2.

SI nobiles, quales esse debent, fuerint, sinè dubio plebem ad illorum exemplum se formaturam expectate. *S. Franciscus Xaver. l. 1. Epist. 3.*

O nobilitas, quid es absque virtute? pessima scelerum magistra. Quantò eos altiùs benignior sors evexit, tantò ampliùs exemplo, quia latiùs, nocent. Terrestria hæc numina quidquid agunt, agi posse persvadent.

Mollis educatio rarò bonos effecit nobiles; in vestra moderatores manu Reipublicæ salus & discrimen vertitur, ùt bonis, pravisve moribus teneros eorum animos imbuitis.

O magne Sancte, &c. fo. 2.

Quicumque sermones hominum extimescunt, mũdi veriùs quàm Christi milites sunt, utpote quos humanus respectus magis moveat, quàm Divinus. *S. Xaver. apud. Turselli. lib. 6. ca. 18.*

Si te hominum opinio movet, maturè abstine ab omni opere; quidquid enim agas vel omittas, perinde ẽst, criticum nancisceris. In hominibus non major mentiũ similitudo, quàm frontium. Quid fatigaris? age, quod agi vult *Deus*.

*D*espici meretur à DEO, qui in hujus causa hominem respicit. *DEVM* pone ob oculos, & tramite, non quo invitaris, sed quó procedendum est, procede.

O magne Sancte! &c. f. 2.

HOsti permittit DEus, ut eos sollicitet atque divexet, qui timiditate abducti nequaquàm in suo conditore confidunt. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

Multa ideo timenda sunt minùs, quia multum metûs afferunt; plerumque, qui plùs minatur, minùs nocet; canis latrare svetus rarò mordet. Pone metum: frangitur hostis impetus, dum in audentem cadit.

Ne Dæmonem timeas, Deum time. Multi & fortes tibi sunt inimici, quos interesse, nec superari, Divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Ubi tibi fidere cæpisti, periisti. Humiliare sub potenti manu *Dei*.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SImus ex iis, qui à mundo, carne, Diabolo injuriosè tractati nostras pariter & Dei injurias ulcisci in nobismetipsis expetamus. *S. Xav. l. 2. ep. 1.*

Sensus, malorum fuêre, heu sæpe grandium instrumenta, per quæ caro contra spiritum triumphavit! verte folium, quibus vicit armis, ipse vincatur: malum sentiat, quod intentavit.

Si hostis tulisset opes, honorem, vitam ademisset, non parceres: & nunc hosti, qui tibi animam, animæ DEUM rapere intendit, blandieris? Plectatur, in servitutem redigatur, ut licet nocere velit, non possit.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Sedulam Deo, ut par eſt, navate operam, ad ejus nutum & voluntatem totos nos usquequaq; conformemus. *S. Xav. li.* 1. *epiſt.* 1.

Regula optima Dei voluntas eſt, quantùm ab hac, tantùm quisque recedit à bono: cui quidquid conforme virtus, quid quid difforme, vitium eſt. Hæc ſemita ducit ad veram felicitatem: idem cum DEO velle, idem nolle: nec divitias paupertati, nec valetudinem morbo, nec honorem contemptui anteponere.

Cæcus es: cur eum ſequi renuis Ducem, à quo falli non potes? Quorſum ergò murmura? Ille placet DEO, cui placet DEUS.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SI non poteris quod voles, velis, quod poteris. *S. Fran. Xav. l. 1. ep. 7.*

Ubi thure non licet, farre litandum est. Si dare nequis Deo hecatomben, da minuta, & grandium munificentiam transcendisti. Census non à peculio, sed animo pendet. Non omnes ad summa nati sunt; etiam mediocribus officiis summus Deus honoratur. Qui fecit, quod potuit, plurimùm fecit.

Sæpe plura possumus quàm putemus. *Animi* defectus est, quem dicimus potentiæ. Tenta: quem humeris tuis superiorem credebas laborem, inferiorem comperies. Omnia potes in eo, qui te confortat.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SI accidat, ut in pia, honestáque causa vitam ponamus, næ nos in maximis DEI beneficiis numerabimus. Ipsis etiam gratias habebimus, qui continuæ hujus mortis finem, initiúmque beatæ ac sempiternæ vitæ nobis attulerint. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Mors amara est, sed reo sibi malè conscio, & metuenti è carcere educi ad supplicium; terribilium terribilissima est, sed improvido, cui commeatus ad beatam æternitatem non suppetit.

Magnum homini beneficiũ est, quòd necesse sit mori; qui mortem accelerat, vitam aperit, quia dolores omnes finit, ultra quam mala non exeunt.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SIngulare DEI donum est, seipsum nosse. *S. Xaver. li. ep.* 5.

Ut nulla scientiarum magis mortalibus necessaria, ita nulla captu difficilior est notitiâ sui. Pravum & inscrutabile est cor hominis. *Humani* hæc ingenii est perversitas, alios malle quàm seipsum intueri. Gravis error! aliena solliciti curamus vulnera, & propriis contabescimus. Tibi præ aliis obligaris.

Quid hæres in cortice? profundiùs te rimare, intima in jus & censuram voca: & quantam abominationem vultus ad speciem compositus texerit, perhorresces.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

EST proclivis ad sui tutelam, & sibimet libenter ignoscit hominum natura. *S. Xaver. ap. Maff. l. 1. Epist. 2.*

Quàm cæcus est mortalium amor! nullum ardentiùs depereunt, quàm quem capitalissimũ habent hostem, quisque seipsum. Credes hoc, si credis nullum tibi, præter te, nocere posse.

Turpis error priore pejor! dum prodesse sibi vult, nocet homo gravissimè. De honore, opibus, voluptate sollicit9 es? & hoc est te perdere. Vt te ames, indulgeo, amare est bonum velle, utinam ames te, ut bona tibi velis, quæ vera sunt!

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

SI ſpes & cogitationes in uno DEO defixas habeatis, ita demum vos adverſus omnia, quæ accidere poſſunt vel animi, vel corporis incommoda ſatis armatos, paratóſque exiſtimabo. S. *Xav. lib. 3. epiſt. 5.*

DEO adhærere eſt beatè vivere; reliqua opinione bona ſunt, & nomen quidem commune habent cum veris, ſed natura in illis boni non eſt. Solùm illud bonum eſt, quod ſempiternum, quod neque creſcere poteſt, neque minui, hoc extra DEum quærere potes, invenire non potes.

Huc ergo ſpes! ſi volum9, beati ſumus. Deo adhærendo id aſſequimur, ſinè quo licet mundi Dominus ſis, miſer es, quia bono cares omni.

SI DEum seriò quæris, viámque perfectionis tenes, infallibiliter omnia dulcia, suavia in iis reperies, in quibus teipsum studueris subjugare. *S. Xaver. ap. Pa. Marti. in Nov. die 3.*

Vitiato palato amariores videntur boli, quàm fini; non crucis & abnegationis vitium est, quòd insuavia censeantur; tuum est, qui ferre recusas. *Idem* onus leviùs, graviùsque fertur pro diversitate ferentis. Si rem propiùs inspicis, plura perversi pro inferno, quàm justi pro cælo patiuntur. Graviùs suos vanitas premit; quã jugum Domini suos. *Adeò* faciliùs est salvari, quàm perire.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

DEus vitam nostram alienâ animi salute posteriorem habere jubet. S. *Xav. li. 3. ep. 5.*

Nisi vitam tuam pretiosiorem facis, quàm CHristus suam, non est, cur eam pro anima ponere subterfugias. Vitam vel pilus, vel levius aliquid eripere potest, an non satiùs sit eam utiliùs ponere, mori, ut anima vivat.

O anima, quàm dilecta es DEO, quæ illi tam carò constitisti! Et tamen, proh pudor! tam facilè venalis fis Diabolo, pro modico, pro momento! rebellis DEO ad inferos properas!

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

1. *Mar. Cal. Mar.*

SIà tibi commissis diligaris, sic habeto: fore, ut istorum animos flectas, quocunque libitum erit. *S. Xav. li.* 1. *ep.* 7.

Malè obedientia ferro comparatur, indulgentiùs imperanti promptiùs paretur. Nempe si liberorum more haberi se senserint, filiorum & illi more obtemperabunt. Nulla imperia censebuntur dura, quæ sciuntur à Patre profecta; cogitabunt, hoc in pectore nihil nisi bona posse nasci.

Illud etiam benevolentia evincet in subditis, ut peccare caveant, ne offendant, ne amorem, quo tam dulciter fruuntur, demereantur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

2. *Mart.*

UNum omnino timeam9, ne DEUM nempe offendamus: S. Xaver. l. 3. ep. 4.

Quid in orbe magnopere timeas, non invenio; Jacturam opum? aut onere carere optabilius est; ablata gaudia? sed meliora te expectant in cœlo; morbum, aut mortem? verùm hæc via est ad salutem. Unicũ proin restat quod metuas, peccatum, cum quo miserrimus es, etsi omnia abundent.

Peccatum malitiâ infernum superat, utut enim pœna illa terribilis sit, mala tamen non est. Et tali te malo quàm facilè induis, quod facilè vitare posses.

O magne Sancte! &c. f. 2.

MIhi persuadeo Crucis Christi Domini amatores vitam exercitam ærumnis beatam ducere; Crucis autem fugam, aut vacuitatem mortis instar putare. S. Xav. l. 1. ep. 1.

Quàm diversa sunt CHristi & mundi amatorum consilia! hi se beatos credunt, dum nullâ molestiâ exercentur, illi nunquàm lætiores, quàm cùm miserias uberiore proventu patiuntur.

Hæc est spiritùs efficacia, audire novennes parvulos lætiùs in Crucis, quàm matris amplexum convolantes, jocantes inter supplicia, & torrorem, ut graviùs sæviat, rogitantes!

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

Adversarius noster quàm fractus, ac perturbatus hæreret, cùm victum se cerneret ab iis, quos non semel ante vicisset! S. Xaver. l. 3. ep. 5.

Non unum ascesis *Antæum* numerat, qui ab hoste victus, terræ allisus, surrexit sublimior nunquam eum sanctitatis gradum attigisset, nisi profundè aliquando cecidisset.

Hæc laudabilis est vindicta, ut tui quondam Victor, nunc victus Victori succumbat, &, quam manibus extorserat palmam, referat. Non despera; sæpius miles post vulnera triumphum cecinit. Melior est humilis pœnitens, quâm superbus innocens.

O magne Sancte &c. f. 2.

STudioſorum Adoleſcentum complures ſuas curas omnes ac ſtudia ad Ethnicorum converſionem conferrent, ſi ſemel guſtâſſent cœleſtis lætitiæ voluptatem, quæ ex ejusmodi laboribus manat.

S. Xav. li. 4. ep. 1.

Magni ſolatii argumentum debet eſſe, prodeſſe aliis. Hoc, qui non ſatagit, vivit inutile terræ pondus. Amari proximum Deus jubet: optimus dilectionis character eſt, animæ benefacere.

Quid curæ noſtræ, intendunt? pudet fateri; nugis inanibus inſumuntur; ubi labori, qui pro animabus ſacratur, proventus reſpondet utiliſſimus.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. ſo. 2.

PArùm refert ab hominibus judicari, præsertim ab iis, qui priùs judicant, quàm intelligant. S. Xav. ep. nov. l. 1. ep. 5.

Illa curanda sunt judicia, quæ te bonum, malúmve, facere possunt. Homo quid de te dicat, aure surdâ præteri; suo mali alios pede metiuntur, nulli ad judicandum proniores iis, qui severissimo indigi judicio.

Sed nec populi judicio moveri debes: Si passio desit, vox populi vox Dei est, ubi hæc adfuerit, multitudo instar torrentis est, si in cujus famam inciderit, rapit omnia, nec alveo patitur contineri.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

STudiosorum Adolescen-tum complures suas cura omnes ac studia ad Ethni-corum conversionem confe-rent, si semel gustâssent cœlesti lætitiæ voluptatem, quæ ex e-jusmodi laboribus manat.

S. Xav. li. 4. ep. 1,

Magni solatii argumentum debet esse, prodesse aliis. Ho-qui non satagit, vivit inutil terræ pondus. Amari proxi-mum DEUS jubet: optimus di-lectionis character est, anim-benefacere.

Quid curæ nostræ, inten-dunt? pudet fateri; nugis ina-nibus insumuntur; ubi labor qui pro animabus sacratur, pro-ventus respondet utilissimus

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

PArùm refert ab hominibus judicari, præsertim ab iis, qui priùs judicant, quàm intelligant. S. *Xav. ep. nov. l.* 1. *ep.* 5.

Illa curanda sunt judicia, quæ te bonum, malúmve, facere possunt. Homo quid de te dicat, aure surdâ præteri; suo mali alios pede metiuntur, nulli ad judicandum proniores iis, qui severissimo indigi judicio.

Sed nec populi judicio moveri debes: Si passio desit, vox populi vox *Dei* est, ubi hæc adfuerit, multitudo instar torrentis est, si in cujus famam inciderit, rapit omnia, nec alveo patitur contineri.

O magne Sancte! Indorum *Apostole* &c. f. 2.

UTinam docti quemadmodum in literas, ita in hanc quoque curam incumberent, ut reddere DEO possent doctrinæ, creditorúmque talentorum rationem. *S. Franciscus Xaverius libro 1. Epist. 5.*

Gravem Domino reddituri sunt rationem, qui talenta quinis plura tam liberaliter acceperunt, nisi lucrum, quod ex eis præstolatur, exhibeant.

Doctrina medium est gloriæ DEi promovendæ utilissimum, pessimè in propriam vel utilitatem vel honorem detorquetur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater, & Patrone mi singularis &c. *fo.* 2.

DEus ad ſuum obſequium, & peccatorum fugam ſatis auxilii tribuit omnibus. In eo res vertitur, an rectè utamur, an abutamur Divinis beneficiis. S. *Xav. li. 3. epiſt. 4.*

Tot DEus homini ſalutis confert media, ut mirum videri poſſit aliquem poſſe perire. In manibus noſtris ſortes noſtræ atræ vel candidæ, prout eas jacere placuerit. Nemo Deum incuſet: qui creavit te ſinè te, non ſalvabit te ſinè te.

Miſeranda rerum facies! inter tot media interimus! ſi quis medias inter epulas eſuriat, quis juvabit? ſi pharmaca nobis vertantur in venenum, non eſt auxilium ſuper.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Quantumcunque festinent homines in exequendo, quod faciendum nôrunt, vix fugiunt, quin rationem reddendam morarum habeant. S. *Xav. ep. Nov. l.* 1. *ep.* 3.

Quæ facienda sunt, præstat citò expedire, ut & curam amoveas, & facti conscientiâ læteris. Tarditas pigritiæ vel filia est, vel parens. nolle & cunctari synonima sunt. Ea minimè differenda, quæ laudari nō possunt, nisi peracta.

Communi verbo qui citò dat, bis dat; geminat facti laudem celeris executio. Quoties nocuit distulisse? in puncto sæpe versatur æternitas, & momento salus æterna negligi potest.

O magne Sancte, &c. f. 2

Reputare te convenit, quantùm DEO debeas, qui te talento insignis eruditionis locupletavit, non utique ad tuum unius fructum, sed ut multis prosis. *S. Xav. Ep. nov. l.* 1. *ep.* 5.

Scientia, quæ nulli prodest, gladius est, vaginâ reconditus, Speculum se credat sapiens, qui collectos in se è cœlo scientiæ radios in alios transmittat. Scientia census multorum est.

Ut verò prosit Scientia, virtuti socianda; illa sapientes reddere potest, non laudabiles. Vilior est laurus, si vitiosum caput inambulet. Stultus honor, clarere scientiis & vitiis obscurari.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Nullum diem rerum Divinarum meditatione, & conſcientiæ examine vacuum ſinas præterire; & quotidie, ecquid in *Divino* obſequio deliqueris, ecqua in re officio tuo, aut *Divinis* defueris conatibus, reputa. S. *Xaver.* ap. *Turſell. l. 6. c. 16.*

Olitorem æmulaberis, quotidie falce inſtructum areolas inviſentem, num quis ſe ſtolo extruſerit? quod niſi agat, inobſervata creſcent lolia, & hortum brevi facient ſylveſcere.

Quotidie propiores horæ illi accedimus, quâ de momentis ſingulis à nobis ratio exigetur.

O magne Sancte Indorum Apoſtole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

PERfectè exequere, quæ DEO placere noveris, sic prorsus, ut fecisse gauderes in momento mortis tuæ, quando sistêris ante DEI tribunal. S. *Xav. li.* 5. *Ep.* 14.

Supremum illud momentum affectuum tuorum lydius esto: ama quod probaverit, uod reprobaveris cave.

O punctum terribile, in quo præterita omnia, jucunda æquè ac amata merguntur, & futura inchoant nunquam cessatura vel supplicia, vel gaudia!

Malè metuitur, quod nostri arbitrii non est. Illud metue, unde mors metuenda redditur, vitam malam. Est Deus lentus, sed certus vindex

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

Suaviùs, mihi crede, homini est in hisce laboribus & adversis versari, quàm sinè illis pacatè, otioséque vivere. S. Xaver. Epist. nov. l. 4. ep. 5.

Miserum judica eum, qui nunquam fuit miser; ærumnas pati quàm Angelum esse præstat; ferendo facimus, quod Angelus nequit, Christum imitamur. Prosperis gaudere vilia ingenia possunt, calamitates sub jugum mittere proprium est magnæ mentis.

Si transigis absque adversario vitam, nemo sciet, quid potueris, ne tu ipse quidem; opus siquidem est ad notitiam sui, experimento. Nemo vires suas nisi tentando didicit.

O magne Sancte! &c. f. 2.

OCcultæ hostium fraudes & improbæ pactiones in medium protractæ vel ipsâ luce protinus evanescunt. *S. Franc. Xaver. ap. Maff. li. 1. ep. 2.*

Quantus pudor, fraus detecta! Ut nix solis radios, sic fraus veritatem ferre non potest; utraque diffluit, illa in lutum, hæc in confusionem. Nemo diu tutus latuit: scena tandem panditur, rebúsque repentè larva detrahitur.

Noli omni colori credere, sicut homines veri sunt, & picti solùm, fictive. Idem est in virtutibus; quasdam color tingit, & species externa fingit, aliæ veræ sunt, & seipsis constant.

O magne Sancte, &c. f. 2.

Utinam viri pii objectos terrores ac metus, quibus eos *Dæmon* à Divino obsequio deterrere studet, converterent in *DEI* conditoris sui metum! Id si facerent, *DEus* bone! quàm jucundè viverent! quantùm in virtute procederent. *S. Xaver. lib. 3. epist. 5.*

Montes credis intentioni sanctæ oppositos? tales quidem mentitur Dæmon, verùm tange, disparebunt, umbratiles fugere. Injurius Deo es, si præter hunc alium timeas.

Timendus *DEus* est bonis, timendus malis; his ob pœnas meritas, illis ne mereantur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

HAc solet mercede DEus Dominus noster remunerari eos, qui multis annis persevérârunt in ejus obsequio, ut, quantò magis debilitantur in carne, tantò plus corroborentur in spiritu. S. *Xaver. Epist. nova. lib.* 3. *epist.* 10.

Nullâ hominis liberalitate patitur se vinci *Deus*. Centuplo reddit cum fœnore, quidquid ei datur, estò & datum, & dantis voluntas ejus beneficium sit.

Vires atteri, inter beneficia habe; hebetantur quippe peccati instrumenta. Præstat servum malè haberi, quàm *Dominam*, corpus, quàm animá.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, &c. f. 2.

QUoniam nos ad nutum voluntatemq; suam semper paratos esse jubet DEus, ad eam simul atque apparuerit, nos totos impigrè conformemus. S. Xav. lib. 1. ep. 11.

Depravata est humana voluntas, maximùmque trahit periculum, ne, si ei liceat, quod vult, velit id, quod non licet. Hæc meliore commutanda est, nempe divinâ: si ingenio pollere liceret Angelico, beatum duceres, cur voluntate agi Divinâ renuis?

Si tua in DEI voluntatem transeat, supra Dominium fortunæ, imò supra naturæ jura positus beatus es.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

SI qui sui fiduciâ quidpiam aggrediuntur, his sæpe parva impedimenta molestiora & difficiliora sunt ad superandum, quàm vel maxima pericula & calamitates iis, qui sibi omnino diffisi spem omnem suam positam habent in DEo. S. *Xav.* l. 3. *ep.* 5.

Minùs spei, plus timoridandum fragilitas suadet; mala bonis, ut certiora, ita sunt abundantiora.

Casus sinistri quotidiani sunt, & ærumnæ se vel injussæ agglomerant, unde in his veniet auxilium? Ut firmum sit non nisi ab Omnipotente expectari potest.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. folio 2.

CHristianæ humilitati intentâ curâ studeas velim, eáque potissimùm obeas ministeria promptus ac libens, quæ cœteri velut abjecta, & minimè speciosa fastidiunt. *S. Xav. ap. Maff. li. 1. ep. 2.*

Nulli alta invidebit munia, qui CHristianæ demissionis pretium intellexerit; DEUM comitem invenit, qui in vilibus se exercet. Ministrare venit DEus, & tumidus terræ vermiculus non ministrari sibi solùm appetat, sed & velit adorari!

Sine alios in mirabilibus super se, super aliorum capita volare sine, tu humili lætus in scabello, vel scabellum omniû factus, remotior es à ruina.

O magne Sancte &c. f 2.

Si quis existat ab inferis revocatus ad vitam, quidnam cœteris videatur esse dicturus perpende. *S. Franc. Xaver. l. 3. ep. 3.*

O Regio dura, chaos desperationis, in quo nulla spes boni, & omnis perpessio mali! Huc sæpe descendamus viventes, ne mortui cogamur. *Per inferos venietur ad superos. Audi tristem damnati lessum: O si daretur hora!*

O peccator quid cogitas? Vt omni momento mori potes, ita nullo non momento damnari potes. Totus infernus cum omni tormentorum suorum apparatu non distat à te nisi uno temporis puncto.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. *fo. 2,*

CVm negotium totum in manu DEI sit, ac potestate, nullus relinquitur, timori aut dubitationi locus. S. Xav. l. 4. ep. 8.

Quid inani metu consumimur? nullus tibi etiam inter omnia timenda potest esse timor, cui Deus est tutor. Non vos estis, qui loquimini, vel, qui agitis; mortua estis instrumenta, per quæ Deus, quæ vult, operatur. Huc spem vestram mortales.

Vbi adest Christus, aranea murus est, ubi abest, murus fit aranea; arma, muri, nervus belli, exercitus, sinè eo umbris hiant imbecilliora, cum eo his opus non est.

O magne Sancte! Indornm Apostole &c. fo. 2.

MAgnum vos odium capiat arrogantiæ, & simul nimium teneat desiderium absolutæ, cumulatæq; virtutis. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Decempeda Sanctitatis est vera animi demissio, virtus à plerisque neglecta, adeò tamen necessaria, ut nulla virtus sine illa sit, nulla non cum illa. Qui humilitate deficit, sanctitate non proficit.

Contempta virtus magnes, & ilex divinitatis. Illi DEum inesse credam, qui defuerit sibi; non quidquid magnum, continuò bonum est, sæpe illaudabile, rarò securum. Jus certæ bonitatis & securitatis sibi Humilitas vendicat.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

IN DEO spes omnes & vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, ut tali ac tanto defensore ac Patrono timere, aut de victoria dubitare videaris. *S. Xav. lib.* 3. *ep.* 5.

Nemo in orbe miserior est eo, qui spem amisit, neque necessitas ulli major ingruit, quàm cui fiducia nulla suppetit: omnia in te unum confluant mala, æther in te simul & orcus bella moveat, semper boni tibi restabit aliquid, si spem non abjicis.

Leva oculos, si maris fluctibus obrutus nauclero te credis: cur his, quos quereris agitatus fluctibus DEO diffidis? an virtus illi major, an charitas in te potior.

O magne Sancte! &c. f. 2.

VIs est pene dixerim ineluctabilis, qua in præceps protruduntur, cùm ad lucri pellaciam, ad prædæ opportunitatem, ad famem cupiditatis præsenti gustu irritatæ torrens supernè ingruens exempli, & consuetudinis incubuerit. *S. Xaver. Ep. nov. l. 3. ep. 11.*

Ubi thesaurus, ibi cor, adeò ineluctabiliter affixum, ut abstrahi nullis machinis possit; ut accipiat, quidquid grande est, videtur modicum: ut det, aut restituat, quidquid modicum, videtur immensum.

Quod DEus orbis utilitati creavit aurum, avaro transit in censum calamitatis.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

OMnia pericula atq; incō-moda CHristi Domini nostri causâ suscepta thesauri sunt cœlestibus solatiis refertissimi. *S. Xav. l. 2. ep. 6.*

Pars magna felicitatis est, posse pati: si vita hæc careret adversis; optimo, quod habet, destitueretur, patientiæ merito. Huic fundamento innititur virtus; langvet sinè adversario generositas, & sinè molestiis, deficit animi fortitudo.

Inferre injuriam vilissimus potest, ferre non nisi magnanimus. Nemo magnus evadit, nisi tolerando. Pluris facio hostem ferre, quàm aggredi, quam sternere.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. fo 2.

DEus pro sua providentía tantos terrores, ærumnas, pericula ab hostibus opponi eò videlicet sinit, ut nostros spiritus frangat, animos demittat, nósque ad submissionem animi, humilitatémque erudiat. *S. Xaver. lib.* 3. *epist.* 5.

Genus victoriæ præstantissimum est se vincere, ubi idem victor & victus, arena est, & prælium. Principes alienâ manu victores sunt, seipsum vincere est opus virtutis *propriæ.*

Multùm in hoc debemus incommodis, quæ eodem quasi conjuncti fœdere auxilio sunt ad humilitatem; plus nobis boni una facit adversitas, quàm omnes suis favoribus amici.

O magne Sancte! &c. f. 2.

PRivatæ objurgationes in privato adhibendæ sunt, & quidem plurimâ humanitate aspersæ. S. Xav. ep. Maff. lib 1. ep. 1.

Nisi molli manu tractentur vulnera, non coalescunt, exulceranda, si duriùs perfricentur. Pharmacopæam sibi, amaræ ibi potiones vel miscentur saccharo, vel auro illinuntur, ne deterreant; correctio si blanda sit, suaviùs accipitur, & curat efficaciùs. Quid vis crimen majori crimine persanare.

Quid plus pharmaci velis adhibere, quàm sit necesse? quem verbum curat, cur damnetur ad verbera? Vide, quî tua velis delicta castigari?

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

CAvete, ne quam vestri fiduciam habeatis. *S. Xav. l.* 3. *ep*, 5.

Cum gravi nobis agendum est hoste: sinè cautela perditi sumus; major viribus, maior & numero; totus enim in nos orcus conspirat. Quis evadet? Succumbet, quisquis suo hìc ingenio, viribus, virtutéque recumbit. In omne proni scelus proruemus, nisi Divinæ antidoto gratiæ à lapsu revocemur.

O quot obscuratæ sunt stellæ, quot non columnæ ceciderunt! qui nimiùm præfidentes pericula tentaverunt. Justissima hæc DEI pœna est, ut, qui volare volunt, ambulare dediscant.

O magne Sancte, &c. f. 2.

SOllicitì ſemper atque anxii nulla neque intus ſolatia inveniunt, nec foris. *S. Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Vetus hæc tenebrarum principis eſt impoſtura: tenebras piè vivere volentium mentibus affundere, ut in umbra tutiùs lateat, & piſcetur in turbido feliciùs. *Apage* cum his umbris; atræ nubes nihil boni coquunt: ſi removeri pateris ſiparium, ridebis terriculamenta, ad quæ trepidabas.

DEI *F*ilius nec quod metuat, habet, nec quod triſtetur; quidquid animo malaciam, cordi quietem tollit, inimicum eſt, fraus eſt veteratoris. Plicas, tricásque mille oggerit, ut à melioribus animum avocet.

O magne Sancte. &c. f. 2.

ITerum à te peto, quæsóq; per Deum, ut exemplo populum excites ad Pietatem. S. Xav. l. 4. ep. 5.

Quàm enorme foret scelus primos aquarum fontes, unde bibunt universi, veneno corrumpere! par malum creat, qui norma factus gregis sibi subditi, desinendo agere benè, suos docet malè agere.

Magnum Præsides gestant onus, unum commune aliis, quòd de se, alterum sibi proprium, quòd & de iis reddituri sint rationem, quos exemplo sequiore in pejus inclinârunt. Si malus es, solus esto; si malè agis, quid fieri possit, ostendis, quod salubriùs ignorâssent cives.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SI intimam animi submissionem factis & vitâ declarabitis, omnemque existimationis vestræ curam DEO permittetis, is suapte naturâ sponte existimationem vobis, authoritatemque apud homines conciliabit. *S, Xav. l. 3. ep, 5.*

Nunquam diu virtus latuit, lucem, quam fugit, tegere nunquam ex toto potest: inde fit ut qui sibi vilis, ab aliis pariter vult haberi vilissimus, maximè gloriosus fiat, ut nulla certior sit ad honores via, quàm honores fugere.

Illum DEUS præ cæteris honoratum cupit, quem per jacturam æstimationis terrenæ idoneum reddit gloriæ cœlestis.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

INvidiam & tantùm non culpam furto usus publicus detrahit: dum vix dubitatur fieri non malè, quod impunè fit. Ubique semper rapitur, congeritur, aufertur; semel captum, nunquam redditur. *S. Xaver. Ep. nov. l. 3. ep. 11.*

Quod solatium, si quantùm tibi arca crescit, tantùm decrescit spes æternorum? Negotiator insane! siccine pro hoc lucro, divitiæ, quas nec tinea, nec ærugo demolitur, stant venales?

Non judica te ditari, si plus opes, quàm probitas accrescãt. Semper animæ, quàm nummi dignior debet esse cura.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. fo. 2.

IN universum te cunctis mitem, jucundum, affabilem præbeas, ut eâ comitate illecti omnes tibi pectorum suorum latebras ac recessus aperiant. S. Xaver. ap Maff. lib. 1. ep. 2.

Clavis ferrea pectus non aperit; nec soli nisi sereniùs arridenti intimos recessus flores explicant: minùs tibi cordium aditus patere sinent homines, nisi amœno, affabili, & amanti.

Torva severitas avertit animos; quem oderint, quomodo ei sua prodant? mille plicis tricísque pluribus sepeliet, ne vel rima tibi ad ea pateat, quæ scire aves; vitam, fortunas tolere potes vel invito, non secreta.

Assidua incuria, ac virtutis remissio perfectam vitam sensim labefactat. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Grave malum & incurabile, quod non sentitur & nocet; neglectus, quia occultus hostis, graviùs sævit. Vehemens morbi genus curaveris citiùs, quàm quos tabes intus bectica sinè sensu depascitur.

Minima, si sapis, spiritûs detrimenta non minimi habe. Nihil est parvum, quod animæ nocet. Quid interest Cete, an tenuis remora navim à littore remoreretur? In schola virtutis nihil est parvum, quod juvat ad profectum; vel ab eodem removet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

PEriculum est, ne ipsi pereant, dum alios servare student, qui magnitudine animi, & Dei fiduciâ non excellunt. *S. Xav. l. 4. ep. 2.*

Non minoribus objicitur fluctibus, qui se populo, ac qui mari miscet, & ille præ hoc periculosiùs, quia non corporis sed animæ periculum subit. Magnâ utrobique opus peritiâ: ibi majori, ubi pretiosior merces discrimen subit.

Juvare qui vult homines, supra homines esse debet, nec vulneri obnoxius, nec ulli periculo. Ut inter ignes non ardeat, inter aquas non tingatur, sordes inter medias tam parùm ac solaris radius fæcis trahat.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

PAtitur DEus animos nostros sæpe parvis incommodis, ac periculis sollicitari, ne nobis ipsi fidentes optimi Parentis negligamus auxilium. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Privata Pater filium in umbra exercet, ut graviores aptet ad conflictus, jubetque virtutis rudimentum dare, quam in arena olim sit exhibiturus. Ita DEus levioribus nos exercet malis, non ut periculum faciat, sed ut erudiat.

Ut territus ad ulnas Matris confugiat puer, innatus persuadet amor: te discrimini colluctantem ad *Dei* brachium convolare fides impellat. *Aget* ille Patrem, si tu filii noveris implere officium.

O magne Sancte! &c. f. 2.

A donis, muneribúsq; (fri-vola quædam excipio, quæ si recuses, largitor contemni se putet) omnino abstinebis. S. Xav. ap. Maff. l. 1. ep. 2.

Infamis Magistratus! ubi Justitiæ bilanx in eum pendet, qui plus pendit. Nec minuunt crimen tituli, qui quæruntur, ut injustitiæ fucus illinatur. Benevolentia, gratitudo, congiarium, honorarium pulchra nomina, res turpissima, iniquæ sunt extorsiones. Philosophi axioma fuit: Nemo dat, quod non habet, nunc nemo dat quod habet, nisi accipiat, quod non habet.

Conductus es publico servus, publico, ut singulis servias, ære, quod accipis, obligatus.

QUæ dicuntur dicentis pietate, submissione animi, modestiâ commendentur. S. Xav. l. 4. ep. 3.

Qui bona suadet, & mala agit, seipsum condemnat, alterius Instructor sui Judex factus. Pondus ab altiori imprimit terræ sui vestigium profundiùs. Magna de Magistri spiritu opinio cor tyronis altiùs subit.

Efficacissima ad persuadendum humilitas est. Vox modesta intrat pectus profundiùs, operatur efficaciùs; quod nequit rationum vi efficere, promeretur. O Sancta demissio, quæ non facis, dum non te, sed Christum prædicas!

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. fo 2.

DEus roborat eos præsertim, qui seipsos in rerum etiam abjectarum tractatione egregiè vincunt. S. *Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Magna nobis est gloriæ opportunitas. *Triumphum* agimus, quoties volumus; nec materia vincendi deest, nec potestas. Domestica sunt bella, nos vincendi sumus, cave huic inimico cedere, qui si jugum excusserit, tyrannum experieris.

Nihil ad felicitatem conferet, si foris pax, intus bellum, extra te silentium, intra te sit tumultus passionum. Ut inter tot miserias desinas esse miser, animi affectus captivandi sunt sub jugum rationis.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

ORo te Frater charissime, ne ad communis, urbanæque vitæ consuetudinem delabaris; néve singularem quandam, remotámque à tuo Instituto rationem sequaris. *S. Xav. l.* 4. *ep.* 3.

Qui hominum moribus conformari petit, ad horas mutabilis sit necesse; omni sciat vento vela vertere, omnium opinionum servus, toties mutare debet obsequium, quoties novus ventus afflaverit. Talis si sis, in theatro tibi locum quære, non in asceterio; ille præ isto Protheos locus decet.

Humanæ sapientiæ regulis inhærere, est errare. Immobili nitere, ut de firmitate sis securus.

O magne Sancte! &c. f. 2.

OPto ac spero DEum intimo in animam tuam afflatu inspirationis suæ persuasurum tibi penitus: nullâ te re majorem inire à se gratiam posse, plúsque ad suum obsequium, laudémque conferre, quàm ejus amore abnegando tuam propriam voluntatem. S. *Xav. Ep. nov. l. 3. ep. 13.*

Mors propriæ voluntatis fons est sinceræ voluptatis. Minùs tibi omnes conjunctim dæmones nocere queunt, quàm sola voluntas.

Quidquid fit propriâ voluntate, quantumvis videatur bonum, vitiatum est, tantóq; minùs placet Numini, quantò plus admixtum propriæ voluntatis habet.

O magne Sancte. &c. f. 2.

CRedas mihi, tibique persuadeas velim, nihil esse tutiùs, atque ab omni errore remotiùs, quàm semper optare tibi ab aliis imperari, & imperantibus ex animo obtemperare. *S. Xav. l.* 2. *ep.* 1.

Omnis inquietis cardo est, vel quia sumus, quod non volumus, vel quia volumus, quod non sumus. Clariùs dicam: deest, quod cupimus, adest, quod odimus; hæc sunt elementa doloris, quibus animi demissione nihil medetur certiùs.

Quàm libera est ad parendum voluntas, tam quoque arbitrii tui est dolere. *R*emedium omnis calamitatis est velle fieri, quod cupis, resque evenire, ùt optas.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SI cum irato & flagrante cupiditate vindictæ res tibi fuerit, blandâ oratione, quasi aliud agens, mulcebis hominem. *S. Xav. ep. Maff. l.* 1, *ep.* 2.

Durum commissum duro vel ignes excitat, vel partium ruinam. *Non* est magnus animꝰ, quem tangit injuria. Aut potentior te, aut imbecillior lacessit. *Si* iste: parce illi; si alter: tibi. Suprema pars mundi omni tumultu caret: inferiora tempestatibus obnoxia.

Impetus in molli frangitur & vires perdit. Non est feritas adeò barbara & immitis, quam suavitas non emolliat.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

Consuetudo vitiorum diuturna corrumpit, depravatque naturam. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Consuetudo partem in utráque vim maximam exercet, prava in pravis tantò potentior, quantò proniùs eò natura propendet. Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, in mores eunt; omnia alia citiùs, quàm hæc exueris. Quod altè jactum est, levi manu non eruitur. Consuetudo si tempore vires acceperit, imperium sibi arrogat, & legem facit.

Cave his te pedicis implicare, quas ubi summè volueris exuere, non valebis.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

NEminem contemnas, nemini te anteponas, sed omnibus præbeas exemplum, quemadmodum parere oporteat. S. Xaver. lib. 4. epist. 3.

Quidquid elationis videtur argumentum, philautiam puta. Si seposito affectu eodem te ac alios oculo inspicis, ob quæ te postponas omnib9, multa, ut præponas, reperies nihil. Quem despicis, is DEI oculis te fortè pretiosior virtutem regit; fors multis te gradibus in cœlo antecedet.

Nemo sinè periculo contemnitur, licèt ultimo te præferas, optimo prætulisti, Christus enim factus est novissimus virorum.

O magne Sancte, &c. f. 2.

DEt utinam Dominus noster, ut penitus in animo tuo sentias, ac simul factis exequaris, quidquid ipso in momento mortis tuæ gauderes à te factum. S. Xav. Ep. nov. l. 4. ep. 2.

O magna cogitatio! quantas in omni hominum genere mutationes facis! hæc egenum è potente, servum è Domino, è malo denique bonum facit. Utinam vita nostra sit perpetua mortis meditatio!

Necessaria hæc est cogitatio; incipimus quippe mori, dum incipimus nasci; vitæ hujus principium, est pariter mortis exordium. O nos fatuos, si ita nos prætereat vita, ut nec vivere discamus, nec sciamus nos mori!

O magne Sancte, &c. f. 2.

EGo verò sic censeo, qui in perpetuis vitæ periculis unius Dei causâ versantur, his brevi vitam acerbam fore sic, ut mori expetant, ut cum DEO vivant. *S. Xav. lib. 3. epist. 4.*

Vulgus bonorum optimum vitam credit, fallitur; si non benè vivis, maximum malorum vita est. Vita quid habet boni? nihil in vita miserius ipsâ vitâ, ut verè nihil aliud sit vivere, quàm torqueri.

Ille diuturnam petit vitam, vel qui sibi malè conscius pœnam timet, vel qui atheus cœlum negat. Nullum amanti DEum gravius est supplicium vitâ, quæ à summi boni possessione arcet.

O magne Sancte! &c. f. 2.

IN animum induco meum, vos in vestris animis tot semper vitia animadvertere, quæ reprehendatis, ut magnum vos capiat odium arrogantiæ, & simul summum teneat desiderium absolutæ, cumulatæq; virtutis. *S. Xav. l. 4, ep. 5.*

Nullus est tam exactus, in quo non plus desit, quàm adsit sanctitatis. Quod adest, modicum est, si infinitæ sanctitati comparetur, quæ abest. Nulli hactenus vixêre tales, in quibus nihil ipsa desideraret integritas.

Si æqui Judices simus, semper in nobis, quod plectamus, erit; nullus nempe hortus sinè lolio, nec liber sinè mendo; ita nemo sinè vitio.

O magne Sancte Indorum Apostole, &c. f. 21.

Quàm beatum est vivere quotidie moriendo nostrâsque frangendo voluntates. *S. Xaver. lib.* 1. *ep.* 1.

Si tuis obedias cupiditatibus, heu tibi quot mala numeras! si nemo duobus Dominis, quomodo tu potes servire tot tyrannis? quot enim vitia, quot affectus, tot *Dominos* colis. Vita ista mors est longa. Præstat semel generosè, quàm semper mori.

O quàm hoc pacto beatus es, quàm es gloriosus, toti universo imperas, times neminem, speras nihil, odis nullum, nihil appetis, habes omnia. Vince te ipsum, & hostes confecisti omnes.

O magne Sancte, &c. fo. 2.

TAlem te tuis præbeas, qualem bonus Pater improbis filiis, ut nunquam eis consulere desinas, quamvis cernas multis eos vitiis coopertos. *S. Xav. l.* 1. *ep.* 7.

Ægrum medicus non odit, cur tu malè affecto afflictionem cumulas? Nemo pro desperato habendus; momentum sufficit ad sanitatem. Una ægri tui voluntas satis est ad emendationem.

Plurima emendat dies. Quod hodie non profuit pharmacum, iteratum proderit. DEUM æmulare: quoties te peccantem amanter tulit? Ostende in ægro peritiam, & illi sanitatem, tibi famam conciliâsti.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

IN aliorum curationem ita incumbas ut interea tuæ ipſius perfectioni ac ſaluti quàm diligentiſſimè conſulas. *S. Xav. ap. Maff. l. 1. ep. 2.*

Tua tibi anima ante alias concredita eſt, pretioſum depoſitum! quod è manibus noſtris repetetur. Quis prudens proximi theſauro fideliùs invigilat, quàm ſuo? Vt alios ames, odiſſe te neceſſe non eſt, nec obeſſe, ut aliis benefacias.

Domum te revoca, Judicem indue, acta, dictáque tua ſeveram voca in cenſuram; nihil minue, ſingula ut res fert, inſpice, & augur eſſe auſim, quia multa comperies, quæ medici manum expectent.

O magne *S*ancte! Indorum *A*poſtole &c. f. 2.

BOna de nobis hominum opinio nonnullis interiorem illam animi submissionem quasi per præstigias intervertit. S. *Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Cur aliis plus credis, quàm tibi? alii te laudibus celebrant, tu plura vituperio digna in te latere scis; cur illis citiùs quàm tumet tibi fidem adhibes? Itane tibi viluisti? Si encomia talem te facerent, qualem dicũt, quærendi undique forent panegyristæ.

Conscientiam tuam testem adhibe, qui maximè incorruptus est: quid illa de te sentiat, quære, & quàm inanis, quámque vacua laus tua sit clarissimè apparebit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

NOn est alius fructus animi major in hac ærumnosa vita, quàm vivere in magnis moriendi periculis, quorum adeundorum unica & vera causa fuerit solius Dei amor. *S. Xav. ep. nov. l. 4. ep. 5.*

Occidi voluptas est amœnissima, quam homo unquam potest experiri. Quomodo? si vis, dicam. Multum, imò totum interest, quî res accipiantur. Non persecutio gravis est, sed iniquè ferentes faciunt gravem.

Spes mercedis sudorem siccat operario, & DEI memoria ærumnis nequeat tollere amarorem? Vbi amatur, ibi non laboratur. Amor nomen difficultatis erubescit.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

EA vis est obedientiæ, ut facilè ea quoque efficiat, quæ difficilia videntur. *S. Xav. l. 3. ep. 4.*

Beatitudinis, quam in hac vita consequi licet, pars est non postrema, quæ placita sunt *Deo*, agere semper; una hoc præstat obedientia; hujus ductu ad eam ascendimus sublimitatem, quæ *Deo* propria est, non posse errare. Quantum hoc homini beneficium est!

Nec ratiocinio, nec providentiâ obediens eget, certus se ita agere, ut meliùs non possit. Nihil tibi periculi evenire potest, quàm si parere nolis, & te Divinæ dispositioni subtrahas.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. *fo.* 2.

Exemplum omnium virtutum civitati te propones, si moderatio in te, & Christiana enitebit humilitas. *S. Xav. l. 1. ep. 7.*

Grandis machina est civitatis gubernatio; ei movendæ nulla trochlea aptior est, exemplo. Plerumque plus proficit moderari impotentem animi affectũ, quàm si mille cathedris conspicuus virtutem doceas; animorum dioptra sunt exempla; inde quàm mens alta sit, cognoscitur.

Vobis, qui populum erudi-tis, velamen vitii nullum est; ar-te civitatis totius oculos nu-estis, digitoque passim monstr-mini: Ecce virtutis, inquiu-præcones.

O magne Sancte &c. f

PRimum & antiquissimum tibi sit *DEI* obsequium, & animi tui cultus. Ex hisce fontibus cætera ad proximorum utilitatem longè promanabunt. S. *Xaver. ap. Maff. lib.* 1. *epist.* 2.

Improvidus miles, qui æger & invalidus hostium se cuneo medium miscet; magis imprudens, qui sibi parùm constans aliis opitulari parat. Obfirmandũ virtute priùs est pectus, quàm vicinorum debellaturus vitia, te arenæ committas.

Ars artium est regimen animarum. Conjungere *Deo* zelotes quàm arctissimè: plus cum eo, quàm cum proximo age; plus etenim ille, quàm tu, agit in homine.

O magne Sancte! &c. f. 2.

CUm persuasum nobis sit, res omnes DEI nutu auxilióque regi & gubernari, Divino præsidio tecti nihil habent, quod metuant, nisi hoc unum, ne ipsum offendant Deum. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Deum fac amicum habe; res hæc difficilis non est, & age quod vis; nihil non ad votum succedit, in omni eventu beatus. Infinita bonitas velle tibi nequit, nisi bonum, & cui habes, quod invideas, si omnia, si semper, tibi eveniant bona? Vide, quàm ex facili beatus sis: DEum non offende; hoc tibi propitio mortalium felicissimus, offenso miserrimus es, quidquid præter Deum adsit vel absit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

QUi vitam & ætatem universam exantlandis DEI causâ laboribus maximis impenderunt, ii referunt plenã victoriam de suo corpore spiritui rebelli. S. Xav. l. 5. ep. 6.

Crudele corpus inter & spiritum intercedit bellum, nec pax speranda ulla, nulla pars palmam cedit, nisi coacta. Væ corpori, si causæ justitiam belli eventus comitetur! patietur & in servitutem redigetur.

Nulli promptiùs obedit corpus, quàm qui Dei legibus exactiùs obedit; ut mens DEO, ita menti caro subjicitur. Fovenda hæc non est; honestum enim ei fit vile, cui corpus nimis charum est.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. fo. 2.

AUditores comiter à vitiis & erroribus, in quibus versantur, revocandi sunt, sed identidem intentatâ Divinâ severitate atque Justitiâ territandi duri homines atque pervicaces: contrâque resipiscentes Dei clementiâ & Misericordiâ propositâ erigendi, recreandique. S. Xav. vita l. 6. cap. 13.

Extrema semper periculosa: præfidere in Misericordiam, & desperare ob Iustitiam. Quid pejus sit, quis definiat?

Ponendus in æquilibrio est animus, ut vindictam metuat, sed speret in benignitatem, ne hâc abusus illam incurrat, vel reus in illam, hac fiat indignus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. folio 2.

OBsecro vos, ut vero, germanóque amore vos inter vos complectamini; neque ullam offensionem animorum exoriri aliquando sinatis. S. *Xav. l.* 3. *epist.* 5.

Sociale DEus hominem animal creavit, quæ animantibus, in sui tutelam arma in corn'b9, veneno, ungvibus dedit, negavit homini; cur à natura recedimus? Non homines sunt, qui minùs humanè cum proximis agunt.

Ridenda sæpe dissidii causa. Perna dirimit amicitiam. Non causa, sed opinio causæ bella serit incautis, quodque naturæ in morsum facilis, vitium est, proximo appingimus tanquam provocanti.

O magne Sancte, &c. f 2.

NUlla locorum spatia obstant obedientiæ. S. *Xav. l.* 2. *epist.* 4.

Inertia terræ pondera trochleis egent, ut loco moveantur: trunci terræ adeò pertinaciter adnati sunt, ut avelli sinè vi non possint, obedientis animus quia nullas in terra radices agit, nutu amovibilis est.

Pudeat ab ultima hominum sorte ingenuum vinci. Milites ad classicum alpes, maria superant, & pro cœlo pugnaturus ad *Numinis* imperium moras trahat! Obedientia virtutem probat & expolit. Præstat unum veræ obedientiæ actum exercere, quàm sexcenta patrare miracula.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

QUi spem habent in Deo extra mortis periculum, multùm differunt ab iis, qui Dei præsidio freti Divinæ gratiæ causâ spontè capitis discrimen subeunt. S. Xav. lib. 3. ep. 4.

Ut præsentia diffitis magis terrent pericula, sic illustrior est virtus, in perditis spem non perdere. Hìc Rhodus, hìc saltus.

Sperare placido mari vel imbelles audent animæ: in procellis non fluctuare animo soli sciunt, qui spes suas in immobili statuerunt, quibus plus est mentis, quàm sensûs. Spes hæc vitâ potior, rem mundi omnem non ægrè dimiserit, cui spes melioris in cœlo adipiscendæ certa est.

O magne Sancte, &c. f. 2.

PAupertas nemini dedecori est. S. Xaver. lib. 3. epist. 5.

Non quod possidemus, sed quod in votis est, delectat: ita non quod deest, affligit, sed quod concupiscimus. Æquè beatus est, qui cum nihil habet, cupit nihil, quàm qui habet omnia, quæ cupit.

Quantumvis plura dives habeat, eget tamen pluribus, neque desunt ei pauciora plurimis. Diviti deest, quidquid cupit, id est, quidquid non habet, pauperi solùm id, quo extremè eget; ille indiget, unde alat omnia vitia, iste solùm, unde sustentet vitam.

O magne Sancte! Indorum Apostole maxime orbis Thaumaturge, &c. lo. 2.

SVmmâ profectò prudentiâ opus est, ne quid offendas in hoc sæculo nequam. Longéque prospiciendi adversi rerum, qui geruntur, eventus. Adversarius námque *Diabolus* non cessat, sed circumit quærens quem devoret. *S. Xaver. l. 4. ep. 3.*

Malis, plusquam spinis rosa, involvimur, ubique hostes latent in insidiis; Pericula non observata nunquam sunt sinè periculis: ille paucissimis obnoxius, qui maximè cautus est.

Time cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò revertatur. Etiam cùm nihil tibi conscius es, time.

O magne Sancte! Indorum, Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

EXtra DEum omnes alios metus, pericula, labores, quæ tam formidolosè amici intentant mei, non facio flocci, & secutus rideo. *S. Franc. Xaver. epist. nov. l. 4. ep. 7.*

Levi non semel terremur umbrâ? vel ætate, vel moribus parvuli sunt, qui terriculamentis aguntur. *Extra* mala gratiæ nullum time, quidquid animæ non minatur perniciem, malum non est, nec tibi plusquàm spectra ruri pcsita volucribus nocent.

Metus consuetum est superbis supplicium; ad *Dei* Iustitiam pertinet, ut qui vanè & absq; ratione in iis gloriatur, quæ gloriam non merentur, vanè, & absq; ratione formidet ea, quæ metûs vacua sunt.

IN delectu negotiorum habendo illud vitabis inprimis, ne quorum fructus ad unum vel paucos pertinet, anteponas iis, quæ plures, vel etiam universos attingunt, sed quò latiùs quidque, eò potiùs & antiquiùs tibi sit. *S. Xav. lib.* 1. *ep.* 2.

Non multùm à te petitur, ut sis optimus, tantùm imitare pessimum, hoc est, hominem avarum ex alieno ditescentem. Fac tantùm boni omnibus, ut tibi thesaurum gratiæ cumules, quantùm ille rapere curat ab omnibus, ut pecuniam accumulet.

Laudabilis est avaritia, paucis lucris non esse contentum. dum tempus & vires suppetunt, quàm plurima operemur.

LAboris patientia non modò imperitos, idiotásque ad notitiam *D E I*, atque ad virtutem informat, sed etiam reliquorum animos cum tacito quodam plausu, atque approbatione conciliat. S. *Xaver. apud Maff. l.* 1. *ep.* 2.

Flamma nutritur oleo, generosus animus labore. Hunc si recuses, parùm est; etiam posse, beatiorem te credens, si copiosior affluxerit.

Cellare ante tempus ignaviæ est. Quod primus non potuit sudor emolliet secundus; nec arbor uno scinditur, nec ferrum formatur ictu.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater & Patrone mi singularis. &c. fo. 2.

DIscrimina adita adeundis leviora censenda sunt. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Ex præteritis sume augurium futuri; tulisti illa, poteris iisdem humeris & ista. Plus vexamur timoribus, quàm malis, opinione, quàm re; unde fit, ut dum ante necessitatem angimur, ultra necessitatem affligamur. Mala semel nos premunt, timor assiduè.

Meticulosus multa credit, parùm audet. Metus est falsissimus rerum dimensor; plura facit mala & majora, quàm sint, imò plura mentitur, quàm esse possint. Sufficit diei malitia sua, non accersamus mala, priusquā veniant.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

Præstat paucos esse socios, & frugi, quàm multos, & nequam. *S. Xav. lib.* 4. *ep.* 4.

Majori usui sunt decem egregii, quàm mille vulgares. *Id. ap. Trinkell. die* 12.

Multitudo ignava pondus est, non subsidium, plus officit negotiis, quàm ea promoveat. Magna corpora magnis vulneribus, & morbis pluribus obnoxia sunt. *Multi* homines alunt multa vitia.

Minor sed strenuus militum manipulus sæpius fudit majorem. Non numerus, sed virtus in censum veniat. Pauci sint, modò idonei sint.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

VItæ probitas magis requiritur, quàm rerum scientia. *S. Xav. l.* 4. *ep.* 13.

Scientia res indifferens malo æquè ac bono usui apta, nisi probitatis regimen subeat, quãtam plurimis perniciem creat, detestanda potiùs, quàm amanda!

Quid juvat clarere literis, & vitiis obscurari? *Eruditus* & unâ vitiosus bellua est onusta literis. Ensis in manu furentis est scientia virtute destituta. Revolve sæcula: à nullo plus ruinæ sensit publicum, quàm à doctis impiis. Malum sit omen, ubi laurus caput inambulat vitiosum. Scientia curanda post conscientiam.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

TV sectabere, quæ & in vulgus accepta sunt, & cum ratione pariter, & pietate consentiunt. *S. Xaveri. ap. Maff. l.* 1. *ep.* 2.

Quantum Divinæ, humanæque leges sinunt, mores publicum in morem componendi; qui discrepat ab omnibus omnium incurrit odium, contemni se tacitè credunt, si mores eorum alterius factis reprobentur. Salvâ pietate via trita via optima.

Age omnibus communia sed non communi modo: quæ præter ordinem, aut supra naturam sunt, non anhela, ordinariis contentus; illa plus arrogantiæ, hæc ampliùs soliditatis habent.

O magne Sancte! &c. f.

Etsi spes & fiducia *Divina* ad *Dei* arbitrium tribuitur hominibus, plerumque tamen impertitur illis, qui se ipsi omni ratione superare conantur. S. *Xav.* *l.* 3. *ep.* 4.

Infinita bonitas favores partitur, liberaliùs iis, qui se capaciores reddiderunt. Qui se exinanivit, nec creaturarũ solùm amore, sed & seipso carere novit, capaciorem dubio procul animum fecit, in quo nec amor proprius locum, nec passio ulla imperium teneat.

Si plenus es irâ, si ambitione superefflúis, quid mirùm, quòd in te favores cœli non habeant locum? tantò hi minûs in pectore abundant, quantò illa plus redundant.

O magne Sancte! &c. f. 2.

OMnibus in rebus, in quibus depravata natura abhorret, vos ipsi vincite. *S. Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Vis parem Regibus honorem? dabo tibi magnum imperium, quod sinè corrivali tenere potes. *Impera tibi.* Hâc arte honor tibi major, utilitas potior accrescet, quàm si te Cæsarem populi adorarent.

Si tibi imperas, subditos habet nemo te plures, Monarcha orbis effectus es; si enim tibi imperas, quidquid extra te est, rationis imperio subjectum, imò sub pedibus captivum tenes. Plura nec tu potes petere, nec ullus hac in vita dare.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

13. *Maji.* 3. *Id. Maji.*

ILlud decretorium æternitatis momentum citiùs aderit, quàm ipſe putes. S. *Xav. epiſt. nov. l. 4. ep. 6.*

Unicum temporis momentum, quod nobis pandet æternitatem, utinam omnes totius vitæ curas exhauriat! Vivimus, non tam reſpirando, quàm expirando; quodvis momentum poteſt eſſe poſtremum. Quot non hodie feſta celebrant jocalia, cras futuri funera!

Quid differs te itineri parare, quod repentè fors erit ineundum? Mors præſens raiò redditur bona; fieri vult, antequam adſit. Tempus non ſuppetet mori diſcere, cùm moriendum erit.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole &c. f. 2.

SIc age, ne famæ tuæ atque existimationi aliqua labes ab iniquis, & omnia in pejorem partem interpretantibus adſpergatur. S. Xaveri. ap. Maff. l. 1. ep. 2.

Nulli malo tam ægrè mederi quis poteſt, quàm famæ apud vulgus infimæ. Non tantùm mala cavenda ſunt illi, qui vult alios efficere bonos, ſed & opinio mali, Famæ quàm luci dignior ſit cura.

Ignaviæ, non demiſſioni eſt, cùm ſiles ad famæ jacturam; virtus tibi, fama tua alii neceſſaria eſt, Crudelis, qui ſuam jugulat. Avis, quæ ſe viſco induit, etiam liberata turpitudinis aliquid ſecum trahit.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. fo. 2.

QUi in humilibus & abjectis ministeriis versantur, impensè, enixéque illa exequi, & quàm maximum humilitatis fructum ex iis capere studeant: credántque nihil ex eo tempore gratius DEO ab se fieri posse, memores minora munera rudimenta esse majorum. *S. Xaver. in vita li. 6. cap.* 15.

Et naturæ & gratiæ consuetus ordo per gradus ducit ad sublimia. Qui nunquam tyro, nunquàm *Magister*. Et in parvis magno esse licet. Artifices peritiæ suæ magnitudinem ùt plurimùm in parvis docent.

Si *Dei* magnitudinem ritè intelligeres, nihil crederes esse parvum, quod ejus gratiâ fit.

O magne Sancte! &c. f. 2.

BOni apud improbos vitæ exemplo assiduè confirmantur, atque adeò plus quàm Concionatores è suggestu sæpe proficiunt. S. Xaver. l. 3. ep. 6.

Internè corrupti, qui colore sano decipiunt, facilè vicinam tabem imbibunt, dum benè sani obviis non afflantur malis. qui à malis ad corruptelam trahitur, bonus non fuit.

Malus etiam inter bonos manebit, quia se circumfert; socios non mores mutat: bonus etiam medias inter spinas manebit rosa vel lilium. Nemo à sociis culpam mutuetur aut gloriam. In se habet, seu bonus sit, seu malus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

APud quamvis gentium homines etiam non literatissimi, modò egregiâ tute præditi, egregiam Deo vare operam possunt. S. *Xv. l.* 2. *ep.* 5.

Illiterato malè provisum es- orbi, si DEus scientiis San- tatem alligâsset. Demissione cetur ista & discitur. Si quid sta sit linea, probè calleas, uid proderit, si, quid in vita ctum sit, ignoras? Sunt quæ- m, quæ nescire, quàm scire utiliùs.

Eruditione tuâ malè credis nverti populos; non scientiæ c opus est, sed dexteræ Dei; u fac, quod potes: Deus sup- ebit ea, quæ tu non potes.

O magne Sancte! Indorum postole &c. f. 2.

HOmines, ac res creatæ, veluti parentum, Patriæ, peregrinorum amor, amicorum consuetudines, vitæ commoda, morborúmque remedia nobis impedimento sunt, quò minùs spes omnes nostras in uno DEO fixas, & locatas habeamus. *S. Franc. Xaver lib. 3. epist. 5.*

Diligere DEUM multorum est, verè diligere paucorum. Amare nemo arduum dixerit, sed amare super omnia. Hanc non omnibus datur adire Corinthum.

Quid peritura deperis, natus ad immortalia? amare homines, à quibus possis amari, vel non amari, res plena periculi: amare Deum, à quo non possis non amari, si ames, hoc securissimæ felicitatis est.

Longè plus momenti ad permovendum in factis est, quàm in dictis. *S. Franc. Xaver. lib.* 3. *ep.* 6.

Plus Duci in bello tribuendum, quàm præconi; hic clamat facienda, ille ostendit, nec magno molimine; tacente etiam classico, sequaces exemplo trahit. Illa vox profundiùs auditorum penetrat corda, quam dicentis vita commendat.

Imò nec verbis opus est, ubi facta loquuntur. Mutus hic orator declamatoribus cunctis efficacior persuadebit. Non potest bonus Rex esse populi, qui fuerit malus subditus cœli: nec benè imperabit homini, qui malè obsequitur DEO.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

USque adeò (diffidentia & pusillanimitas) pestis est perniciosa, ut non modò nos ab instituto cursu retardet, verùm etiam magnâ animi molestiâ atque angore deducat. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Abjecti animi ad omnem mali suspicionem trepidant. Virum exuat colo addicendus, qui ad primam impendentis periculi famam fæmineum degener fugit in pavorem.

Erigendus est animus, usq; ad thronum Omnipotentis. Multùm interest, quo rem animo aggrediaris. Si magno: evanescent omnia, quæ tam pavidè metuebas. Crede te non solùm agere, sed illi fœderari, in quo vivimus, movemur, & sumus.

Publicè perstringentes efficiunt nihil, nisi ut magno labore, fructu nullo, gratias perdant, odia colligant. *S. Xav. ap. Muss. l. 1. ep. 2.*

Magna pars felicitatis est peccanti, si corrigentem habeat; rejiciet sæpe in publico, quæ in secreto admisisset. Sæpe medendi ratio pejor est ægritudine, faciliúsque fertur morbus, quàm medicus; quanquam non medicus, sed latro dicendus est, qui invadit in publico.

Ita tractandus est delinquentis animus, ut sanetur, non exasperetur. Non emendatur hic morbus ægro renuente. Etiam Medicus tempus observat; sæpe differt potionem, donec propitium magè sydus affulgeat.

O magne Sancte. &c. f. 2.

INgrati animi vitium fonte Divinæ largitatis avertit, n dona majora accipiat, qui i minoribus fuerit ingratus. S Xav. l. 3. ep. 5.

Grandem datæ gratiæ con tumeliam facit, qui dantis be neficia ingratitudine penſat Ante uſum liberalitatis admiſ ſæ liberi ſumus, nullo benefici orum fœnore gravati: ubi acce pimus, debitores eſſe cœpimus

Cenſe ſi potes, quanta i Deum tua ſit obligatio. Sicu nullum temporis momentun DEI beneficio vacuum præter volat, ita nullum Dei memori expers abire ſinendum eſſet Supplebo votis, quod neque factis.

O magne Sancte Indorun Apoſtole, &c. f. 2.

Regna & principatus transeunt; his nova succedet & inopinatissima facies rerum. *S. Xaver. Epist. novar. lib. 4. epist. 6.*

Superbæ moles & insanæ substructiones sordescũt in pulvere. Troja, Ilium, Pergama, vix de nomine nota evanuerunt, hoc fructu post se relicto, ut rerum etiam grandium nihilum his in vestigiis Magistrâ veritate legeremus.

Quid animo stulto labore consumeris? quid miras mente machinas meditaris? eò præmitte curas, desideria, quò certò venturus es, & totâ æternitate permansurus.

O magne Sancte! Indorum Apostole maxime orbis Thaumaturge, &c. fo. 2.

POtentes fermè delicatum & fastidiosum est genus. *S. Xaver. ap. Maff. li. 1. epist. 2.*

Ad humilium & rudiorum ut casas, ita corda facilior patet accessus; nullus ibi fastus, simulatio nulla custodit fores; minore eò venitur apparatu, & majori ut plurimùm fructu reditur, rarò magnus apud magos fructus expectandus.

Vacat accipere salutationes, expedire causas, & animæ curam suscipere nullatenus vacat. Aliis prosunt, sibi cum candela deficiunt. Hos tu magnos putas? mihi magnus est, qui maximam sui curam habet, qui in oculis Dei talis est.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

ILla me cura sollicitat, ne Dæmon per suas præstigias transfigurans se in Angelum lucis vestrûm aliquem decipiat, & eximiis Dei erga vos meritis postpositis in vanam fiduciam & securitatem inducat. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Mille fraudum artifex Dæmon est; quos apertè non potest, pietatis mentitæ specie in lapsum impellit. Sagaci hîc opus oculo; nemo fidat suo.

Ubi tibi placere incipis, Deo incipis displicere, iisdémque in ruinam gradibus properas, quibus in præsumptionem, viriúmque tuarum præfidentiam extolleris.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

ANimarum pericula, periculis corporum majora & certiora esse videmus. S. Xaver. lib. 4. epist. 15.

Prima rei dignissimæ danda foret cura, sed proh dolor! vix ei obtingit postrema. Quidquid vides, infra te est. Anima tua dignitate superat omne, quod non est ipsa. Prodigium sit, hominem naturâ superbissimum, de bono, quo post Deum nihil est dignitate superius, non superbire.

Post omnia nos habemus nihilque ferè jam cuique sese vilius est. Vide, quantùm vales? quantùm Deus. O probrosum quæstum! constas rei infinitæ pretio, & te vendis pro gutta, pro momento, pro teruncio.

HOminum animi facillimè offenduntur quâvis specie minùs recti exempli in iis extante, qui se aliorum censores ferunt. S. *Xav. lib.* 5. *ep.* 16.

Censorum nemo sibi tantùm errat, sed alieni erroris causa & author est; primi exitio sequentibus sunt; seducit nos perquam facilè traditus per manus error, alienisque perimus exẽplis: langvente capite membra non valent.

Par boni exempli vis in subditos, quos vel ipse occursus bonorum juvat; inveniunt, quod ex probo viro vel tacente discant. Quod frequenter aspicitur, per oculos in pectus descendit, præceptique vim obtinet.

IN conversatione attentiùs omnia circumspicies, téque ipse in officio continebis, neque in securitatem effusus admittes, quod aliquando tibi exoptari, aut objici possit. S. Xav. ap. Maff. l. 1. ep. 2.

Recede in te ipsum; nihil tibi æquè proderit, ac quiescere, & minimum cum aliis agere, tecum plurimùm. Fuge, tace, quiesce. Muneris ratione in solem evocaris? ita age, quasi omnes censores sis nactus.

Inimica virtuti est multorum conversatio; in vitia alter alterum trudimus; nullum præter te postulo testem. An non quoties inter homines fuisti, minor rediisti?

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

QUi suas ipsi pravas affectiones agnoscere & curare student, nullo negotio agnoscunt & curant alienas. S. Xaver. l. 3. ep. 5.

In te prior cape rudimentum, ne alieno exitio peritiam quæras. Quis medicum excuset, si artis, quam exercet, ignarus, cæcè in ægros sæviat, & per aliorum funera quærat experientiam?

In iis, quæ sub oculos cadunt, hallucinamur, & intima cordium, mille implexa difficultatibus intrepidè definimus. Stipulas alienas examinare præsumimus, domesticis trabibus usque ad cæcitatem occupati.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

IN congressibus & colloquiis cavendum est, ne nimia quædam gravitas suspicionem præbeat reverentiam exigentis arrogantiæ; sed potiùs facilitatem vultûs præferat, affabilitatémque sermonis. *S. Francis. Xaver. in vita lib. 2. cap. 13.*

Fastuosum illud supercilium nubes atras præfefert, pari eventu; ut hæ, ita & illud terret intuentes. Omnibus decet esse placabilem.

Quò major in vultu, moribûsque facilitas & modestia, tantò ad capiendos hominum animos sis major.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater & Patrone mi singularis. &c. fo. 2.

Vehementer etiam atque etiam oro te, ne pigreris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorii momenti, quidquid expediri modò, ac præverti potest. S. *Xav. ep. nov. l. 4. ep. 9.*

Vis benè mori! nunc illud age; ibi & tempus & facultas deerit, corporis ubi unà & animæ vires langvent. Alia aliis tutiùs committes negotia: hoc unum ita tuum est, ut nisi tu cures, curare possit nemo.

Veniet finis, ut hodie mensis, ita aliquando ætatis. Negotiorum primum esse debet, quod est supremum, ut in honore, opibus, voluptate semper cogites mortem.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

ILlud perpetuò noſtris hærere mentibus velim, propenſam, plenámque humilitatis, demiſſionìsque voluntatem, quâ te, caputque tuum *Divinæ* gloriæ devoveas, gratiorem *Deo*, acceptioremque hoſtiam eſſe, quàm vel plurima, vel maxima obſequia ſinè ejusmodi voluntate. *S. Xaver. lib. 3. epiſt. 5.*

Ut munus DEO gratum veniat, humilitate condiatur. Noſtris quippe rebus minimè indiga illa *Majeſtas*, ſpontaneâ tamen demiſſione velut munere gratulatur.

Te, tuáque Deo dare magnum non eſt; nihil das ex tuo, reddis ei, cujus ſunt. Quid tardas liberalis eſſe ex alieno? Das te? quàm parùm? recipis DEI gratiam; nihil hâc majus.

NUllo modo committendum, ut quisquam in animum inducat, demũ insolentiâ, pervicaciâque victum Rectorem ipsius indulgere peccatis. Quippe non alia pernicies major pervicacibus ingeniis accidere potest, quàm si ea timidè tractentur. S. *Xav. in vita lib.* 6. *cap.* 14.

Fragilitas benignitatem, contumacia severitatem post se trahant. Eum, qui præest, ambidextrum esse convenit, ut dextram & sinistram in promptu subditus sentiat, prout pœnâ, præmióve dignum quid gesserit.

Multæ sunt affectiones, quæ sinè ferro & igne non curantur; ferrea indoles ad incudem & malleos cogenda, non flectetur nisi percussa.

Domus CHristo dicatæ, conciliatrices victoriarum sunt. *S. Xaver. lib. 1. epist.* 2.

Plus humilis justi oratio bono publico prodest in templo, quàm miles strenuus in campo, hic hostem vincit, sed illo persequente: fugat, sed illo metum in æmuli pectore excitante. Largitor victoriarum est Deus exercituum; apud quem si levas devotas manus, demittet hostis cristas.

Sed non illa solùm sunt prælia, quæ gladiis definiuntur; graviora sunt, ubi Dei gratia, æternitas periculum patiuntur. Vis victoriam? viribus non obtinebis; hostis tuus spiritus est, tot victoriis clarus: ora, vinces.

O magne Sancte, &c. f. 2.

IMpiorum imploratio invisa est DEO. *S. Xav. lib. 1. epist. 4.*

Viriatus corruptis interioribus hominis halitus procul vicinos fugat. Nullum ulcus putidiùs olet animâ peccatoris, in cujus comparatione, quidquid orbis fœtoris habet, balsamum queat reputari; & quî ejus oratio placabit Altissimum?

O quàm rara in tanta orantium turba est oratio! non orat, qui labia movet, sed qui cor, & manum immaculatam ad cœlum levat. Putásne Dæmonis mancipium, pabulum ignis inferni exaudiet DEUS? Fundamentum precum est animæ nitor; ab hujus pretio efficaciam capit.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Qui tuam Deus dulcedinem interiore gustavit sensu, vitam sinè tuo aspectu acerbam putet, necesse est. *S. Xav. l. 1. ep. 5.*

Esse sinè delectatione anima tam parùm potest, quàm corpus sinè respiratione; aut infimis illa delectatur, aut summis. Quid te abjicis ad infima, qui natus es ad summa? Quæ major quàm in summo bono delectatio? O dulcis hora, quâ se Deus animæ communicat!

Ut nummicola non est Christicola, ita qui rebus in creatis venatur gaudia, in cœlestibus non inveniet. Aude terrena spernere, nihil spernes; non carebis gaudiis, sed commutabis.

O magne Sancte! &c. f. 2.

EOrum, quos erudis, imbecillitatem, infirmitatémq; moderatè ac sapienter feras, atque illud tecum animo reputabis: si minùs tales nunc sunt, quales esse velis, certè aliquando futuros. S. Xav. li. 1. ep. 7.

Ægriùs marmori quàm argillæ virtutis imaginem impresseris, eo tamen discrimine; quòd illud laboris impensi moram constantiâ compensabit, ubi ista vel levem ad ictum concidet.

Hìc si ullibi opus est patientiâ. Compassionem, non rancorem meretur, qui tot inter luctas & prælia debet vincere, donec veteri homini novus induc atur.

O magne Sancte, &c. fo. 2.

IN hac vita tanquam advenas & peregrinos esse nos oportet, atque in omnes partes, quocunque ille vocaverit, expeditos. S. *Xaver. lib.* 4. *epist.* 11.

Quales nos natura constituit, simus; peregrinos illa nos esse jussit; eundum est, non quà placet, sed quà licet, ut terminum contingamus. Ridendus foret Viator, si herbulæ delectatus aspectu iter negligeret, eámque sibi viæ terminum defigeret.

Vivimus quasi nunquam morituri; Viator es, quisquis es. Dum hæc legis properas ad viæ, vitæque finem. Nulli hic quies ante terminum indulgetur.

O magne Sancte, &c. f. 2.

TAnta est veræ, germanæque amicitiæ vis, ut amici absentes adsint, mutuóque aspectu & consuetudine fruantur. S. *Xaver.* *lib.* I. *ep.* 8.

Grande bonum est, habere fida pectora, quibus tutò secretum omne concredas, de quorum fide minùs quàm de tua timeas, quorum sermo tristitiam abstergat, scientia consilium expediat.

Amicitia summum bonum, non potest nisi ab Optimo impetrari. Amicitia humana opprobrium est veræ, quia infida, inconstans ætatem non videt, se vel tua, non te quærit. Deum tibi fac amicum, hic amicitiæ partes explebit omnes.

O magne Sancte, &c. f. 2.

SI fortè propter hominum improbitatem lenitas minùs proficiet, adhibe interdum aliquid severitatis. Sic enim habeto: magnum esse peccatum, peccantem, cum aliorum maximè offensione non castigare. *S. Xav. li. 1. ep. 7.*

Non irasci, cùm oportet, non minor est insania, quàm irasci sinè causa. Non sopienda, sed evellenda est radix, ne crescat malum.

Iniquissima hæc bonitas est, quâ nulla tyrannis pejor, putridum fovere membrum, & corpus integrum in discrimen abducere. Benè emitur multorum utilitas paucorum incommodis,

O magne Sancte! &c. f. 2.

PAr eſt, qui *Divini* obſequii ſtudio tenentur, parvis in rebus elaborare, ſeque quàm maximè demittere, atque exinanire, ut ſibi vel minimùm fidant, *Deo* vel plurimùm. *S. Xav. lib.* 3. *ep.* 5.

Nihil negligendum rei ſucceſſum expectanti; executio decendat ad minima, quæ finem iuvant. Nihil reputetur parvum, quod ad rei magnæ conſecutionem facit. *Rei* quantitatē, non res ipſa, non moles, ſed utilitas definiat.

Ita in omnibus fidendum DEO, ac ſi ſolus omnia ſinè te optatum ad finem deducturus ſit; eàm tamen adde induſtriam, quaſi res tota tibi ſinè *Deo* peragenda incumberet.

O magne Sancte! &c. f. 2.

QUisque vestrûm, ubicunque est, se primùm, deinde alios juvare studeat, inducatque animum, nusquam se meliùs, quàm ubi à præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. S. Xav. lib. 3. ep. 5.

Ignis ubicunque sit, agit, quantùm potest; Vir zelosus, ubique gentium aptam igni suo materiam invenit, vel facit. Locus nec Apostolum facit, nec Doctorem; cujus uno, alteróve loco circumscribitur ardor, debilis est.

Non de loco, sed ut te loco accommodes, cura; ubique locorum bonus & frugi, sicut ubique malus & flocci esse quisque potest.

O magne Sancte! &c. f.

PRæter præsidium Divinum, præsidii habemus nihil. S. *Franc.* Xaver. *lib.* I. *ep.* 7.

Quisquis humano favori fidit, arundini innititur; stat quidem, at proximo levioris venti impulsu instabilis ruet. Verba illa mellea, verba sunt, in labris nata, ultra promissum non eunt, quantóque illa pollicitis magis prægnantia sunt, tantò certior est abortus.

Miser est homo, sibi nec digiti mensuram, nec vitæ momentum, nec mento pilum adjicere potest, utut velit. Quidquid potest, exiguum, nec magnâ curâ dignum est. Ei fide, qui semper idem, ubiq; potens, te in singulis juvare potest.

O magne Sancte! &c. f. 2.

MIhi credire: etsi hujus sententiæ: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*, verba generatim facilia sint intellectu, tamen ubi tempus incidit, cùm statuere oportet, tibi pro Deo vitam amittendam esse, & mortis discrimen adeundum, usque adeò eadem sententia, etsi clarissima sit, obscura fieri solet, ut is modo eam intelligat, cui pro sua benignitate declaraverit Deus. S. *Franc. Xav.* l. 1. ep. 15.

Principia veritatis æternæ ut contra naturam, ita supra captum sunt humani intellectûs nisi cœleste DEus lumen affundat.

Non nisi per sanctum sui odium ad *Dei* amorem perveni tur.

ÆQuo, fidentíque animo à vita diſcedere, longè difficillimum eſt iis, qui Divinis legibus minimè paruerunt. *S. Xav. l. 2. ep. 2.*

Horrendum eſt in conſcientia peccati mori. Præterita peſſimè acta, futura metu plena quantùm premant, nemo ſatis dixerit, ne is quidem infelix, qui patitur. Hoc ſcelere ſupplicium eſt, culpâ admiſſâ quies eſt amiſſa.

Et ubi tunc gaudia, ob quæ hîc mille mortibus atrocius malum admiſiſti? Tranſierunt. Nihil enim morientem ſequitur, niſi boni, malíve geſti conſcientia.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, maxime orbis Thaumaturge &c. folio 2.

Cùm nihil Dæmon nocere cuiquam possit, nisi quoad DEus ipse permittat, magìs DEI diffidentia timenda est, quàm impetus inimici. S. *Xaverius. lib.* 3. *epist.* 5.

Non Diaboli, sed proprium uniuscujusque vitium est, si delinquat, ipse pejor *Dæmone* sibi hostis factus. Eum de suggestionibus importunis, & sollicitationibus accusamus, cùm sæpius ultro à nobis quæratur, quàm ille nos quærat.

Passio nostra non edomita, cupiditas, ambitio, reliquáque vitia, quæ blandè fovemus, plus timenda sunt; ille sinè istis non nocebit. Imbellis absque armis inimicus risûs, non metûs est objectum.

VEl cum capitis discrimine ab interitu sunt vindicandi animi; itáque vel perspicua mortis pericula subire certum est. S. Xav. l. 1. ep. 15.

Ridet pro gemmis obtinendis tempestates trapezita: unionis amore fluctus urinator subit. Pudeat his imbecilliorem esse Christi militem, si pro ea merce comparanda periculum fugiat, pro qua DEUS vitam posuit.

Memento te, cùm pro anima sudas, Deo laborare, & laborem tuum amabis; ubi autem amor est magnus, ibi labor omnis est parvus. Potes laborem fugere, fugare omnem non potes.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

SI quando videbis te ita multis distineri negotiis, ut par esse nequeas universis, quantùm efficere poteris, tantùm efficies, eóque contentus eris. S. *Xav.* *l.* 1. *ep.* 7.

Malè de rebus judicat, qui pauca se posse querulus dolet. Nemo plus proficit, quàm magnus ille universi Dominus velit, cujus si explevisti voluntatē, laborasti nimiùm.

Non tam à negotiorum multitudine pendet operantis commendatio, quàm à rei gestæ perfectione. Homo unius negotii plerumque est accuratior, multis intentus, non multùm facit. Si me audis, ille tibi laborum sit maximus, ut salutem tuam opereris.

O magne Sancte, &c. f. 2.

Qui præsit, is ne sit, qui timeri se, quàm amari malit; neque id agat, ut per severitatem atque terrorem sibi commissos tanquam servos in ditione habeat. *S. Xav. l. 2. ep. 9.*

Ut benè imperes aliis, fac ut moderatio imperet tibi, tum dignè dicendus superior, si subditos habeas iræ affectus. Ignominiosum foret Præsidem subesse impetui. Si passio admittatur ad gubernium, omnia confusio involvet: proscribatur illa, ut ista componatur.

Ira belluarum est: regimen non meretur. Lex viva sit præses; priùs vitia omnia proscribat, quàm ea damnet in aliis: credat se non servis, sed ingenuis jura dictare.

Mando tibi pro amicitia, ut mercem quandam compares sanè pretiosam, quam mercatores ferè negligunt, bonam dico conscientiam. S. Xaver. l. 2. ep. 7.

Quascunque orbis habet merces, sunt infra te, imò plerumque contra te, quas nimiùm quærendo te perdis. Illa studiosè investigas, in quibus nullum est boni vestigium, quæ satiùs foret inventa perdere, quàm quærere invenienda.

Rara conscientiæ passim est cura; virtus post nummos, pro teruncio anima, pro argenteis Christus, pro lucello venale stat cœlum. Præstat esse pauperem cum bona conscientia, quàm cum mala ditissimum.

O magne Sancte! &c. f. 2.

HUc spectant Dæmonis consilia, ut vos solliciti atque anxii neque vobis ipsi, neque aliis, quibuscum versamini, emolumento sitis. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Dæmon ad humani generis perniciem modis, quibus potest, grassatur omnibus: quos apertè in peccatum impellere non potest, occultis aggreditur machinis; ut vel in malum impellat, vel à bono deterreat; hinc illi in anima timores panici, sollicitudines.

Infelix animæ carnificina! trepidat nemine persequente, seipsam pavet, dúmque Deum & proximum offendere cavet, fit, ut nec DEO, nec proximo servire queat.

O magne Sancte, &c. f. 2.

Misericordiæ est reprehendere errantes. S. Xav. l. 1. ep. 7.

Qui fratrem peccantem emendare negligit, non diligit. Si in fronte nævus, in veste floccus cernatur, illico admonemus, & si tota proximi anima ulcus sit & cadaver, nihil commovemur. Qui in Grammaticæ leges peccat, castigatur: vitæ barbarismus dissimulatur. Cæcum in præcipiti admonere beneficentiam ducimus, & animam à ruina revocare negligimus.

Turpiùs adhuc cæcutimus. Si proximi asinus in puteum ceciderit, ut eximatur, accurrimus: proximum sordere in delicto immoti aspicimus.

O magne Sancte, &c. fo. 2.

MOrbus supremus ac mortis ingruentis vicinia ita mentem lángventis in angorum, dolorúmque, qui plurimi tunc, acerbissimiq; sæviunt, præsenti sensu miseram defigit, ut illi nequaquam vacet aliis curis, ac cogitationibus attendere quàm quas illa horribilis scena rerum inutiliter cruciantes injicit. *S. Xav. ep. nov. l. 4. ep. 9.*

O quàm vana ibi cor premet pœnitudo, quòd nulla priùs conscientiæ cura, nulla pro cœlo merita sint præmissa!

Ita fieri amat, ut moriens ne hilo fiat melior; sed si valens salutis suæ vixit incurius, ejusdem etiam morti proximus immemor efficiatur.

O magne Sancte! &c. f. 2.

SUi cognitio est nutrix Divinæ fiduciæ, ac parens Christianæ humilitatis. S. *Xav. l. 3. ep. 5.*

Multùm temporis otiosè prodigitur, dum frivolis perdiscendis impenditur. Omnis homo naturaliter scire desiderat, utinam sciat, quod scire potissimùm expediat. Nullus quidem tam est sapiens, qui sciat, quanta nesciat. Ille & plurimùm & optimè scit, qui seipsum scit.

O quanta scies, ubi te noveris! Nosce te ipsum, quid fueris? quid sis? quid brevì futurus sis! Nosce te ipsum, quantis iram *Dei* peccatis provocaveris?

O magne Sancte! Indorum, *A*postole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

Talia solatia profectò non expetenda, quibus delectantur ii, qui hilariter, jucundéque ut vivant, hujus vitæ voluptatibus perfruuntur. *S. Xav. l. 2. ep. 8.*

Non est quòd invideas illis, quos beatos populus vocat; apparent tales, non sunt, quia umbra modicæ voluptatis longâ rependitur serie dolorum. Adeò nempe caræ sunt paucu-læ dubii mellis guttulæ, per meros amarores ad eos defluentis!

Quæ beatitudo pro solatiis reddendas aliquando pœnas cogitanti! operum bonorum hìc mercedem accipiunt, ut venturis malis præparentur.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

ORatione ad DEum nullum præsentius potest reperiri remedium. S. *Xav.* *l.* 2. *ep.* 3.

Cesset oratio, ubi cessat necessitas; quoties nullum nobis imminet periculum etiam morte gravius, toties ab oratione feriari possumus: at quia mille nos continuò circumstant discrimina, semper orandum. Illud foret discriminum gravissimum, dissimulatio periculi.

Si videris quempiam non curare orandi studium, palàm tibi sit, nihil eum egregiæ dotis habere. Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater & Patrone mi singularis. &c. fo. 2.

Nec mors quidem pertimescenda est iis, qui Divinâ voluptate perfruuntur. *S. Xav. l. 2. ep. 3.*

Ut mors terribilium omnium terribilissima est Atheis, qui cœlum non sperant, & possessa illibenter deserunt, ita longè amabilissima est omnibus, quotquot vitâ innocente se ad illam comparârunt.

Beatus qui semper mortem expectat impavidus, qui ad proximæ mortis nuntium colorem non mutat, nisi fortè solatii interioris testis in fronte rubor legatur. *Adveniente vespere gaudet operarius;* qui dolenda non egit in vita, mori non dolebit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Non deerit, mihi crede, quin primùm quærenti regnum DEI humanæ accumulentur opportunitates. S. Xav. Ep. nov. l. 5. ep. 6.

Ad manum plerumque est, quod satis est: ad superflua pro ambitione, fastu sudatur. Ut famem, sitimque depellas, non est necesse tranare maria, & sylvas vacuare. Non magno apparatu opus est vivere volentibus.

Nolo te otiosum, nolo tuarum rerum incurium, sed primas Deo curas, & animæ dandas suadeo, tùm victui necessaria ad votum fluent. Qui continebit se intra naturalem exigentiam, defectum non sentiet. O magne Sancte! Indorum Apostole &c. fo. 2.

AUdaces, qui fiduciâ suâ inducti plus æquò suis viribus fidunt, & minora certamina contemnunt, in majoribus periculis, atque ærumnis imbecilliores sunt, quàm timidi. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Nunquam præsumptio desideratum obtinuit finem; arrogantiæ filia subsequam trahit ruinam, ut qui parva contempsit, in majoribus contemnatur; exercendæ in tenui sunt vires, ut gravioribus consuescant.

Plerumque quibus ventosus in ore Mavors, ii ad classicum primi expallescunt. Humilis diffidentia cum Divinæ opis imploratione ea præstat, quæ humanis majora viribus credi poterant.

O magne Sancte, &c. f. 2.

INsigne DEI erga ægrotos beneficium est. Siquidem per morbum ipsum eos ad salutem animi vocat, ac pene per vim trahit. S. Xaver. lib. I. ep. 5.

Nunquid grande scelus videatur Deo contradicere in re, in qua cum spiritus Angelici benedicunt? quia tibi nempe præbuit ansam benè merendi: Exiguum quod valens Deo dare poteras, felicissimè beneplacito Divino compensatur.

Gaudebis de eo æternùm in cœlo, quod nunc immodicè plangis in terra. Anticipa hanc lætitiam, & in mediis malis ordire gaudia: fac modò, quod si felicissimus fueris, facturus es in æternum.

O magne Sancte! &c. f. 2.

PAt est eos, qui animi sui perturbationes & morbos nôrunt, curantque diligenter, aliorum quoq; vulnera benignè curare, periculisque vel cum capitis periculo subvenire. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Divinum aliquid est posse aliis prodesse. Mundus totus est Xenodochium, in quo tot morbi regnant, quot vitia. Heu quàm peritos tam subtilia mala Archiatros desiderant!

Quot ad frugem perditos reducis, tot lethales pepulisti morbos, imò totidem ad vitam revocasti mortuos. Quanti hanc in corporibus artem medicus faceret, quam in animas tibi concessit Deus!

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

FAc apud te sis. S. Xav. l. 1, ep. 11.

Hominem ratio discernit à belluis. Hoc optimum habet homo, quod suum est. Corpus habet: & arbores; motu & impetu gloriatur: hoc bestiæ & vermes gaudent; Crescere solet: hoc illi cum loliis commune; Voce pollet: dulciori luscinia; sola in homine ratio cum his superiorem facit; ratione proinde Duce si agis omnia, apud te es, secùs à te peregrinaris.

Ut ratio gubernaculum teneat, affectus sunt imperio deturbandi. Si te his subdis, perdis te, qui in varias distractum partes extra te abripient.

O magne Sancte! Indorum Apostole maxime orbis Thaumaturge, &c. fo. 2,

Animi, corporisque munditiess oculos mentis acuit ad videndum DEVM. S. Xaver. apud Trinkell, pro renov. vetor. die 3.

Virtus hæc supra naturam, cœlestis vitæ imitatrix hominem Angelum facit, qui Dei faciem incessanter intuentur. Vbi talpæ alii luto mersi oculorum acie hebetatâ non capiunt ea, quæ supra naturam sunt, nec ea, quæ spiritûs sunt, agnoscunt.

Exosa Deo impuritas lumen demeretur, quo Deum, & ea, quæ Dei sunt, videre queat. Adeò quâcunque virtute polleas, si careas castimoniâ, fictas virtutes numeras.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

ILlud vos moneo, ne bona de vobis hominum opinio vos nimiùm oblectet, nisi fortè, ut hòc magis vestri vos pudeat. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Laudis te ambitiosum cuperem, sed ejus, quæ justum pondus habet. Dignum esse in conspectu Dei, laus est, quæ nostra meretur desideria. Si te omnium ora celebrent, & sola vituperet conscientia, pudebit te satis tuimet.

Quantùm humanæ laudi fidendum sit, si necdum scis, expertus disces! quàm facilè serenum abit in nubilum! citiùs optima de te hominum opinio in pessimam degenerabit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

DE ope (DEI) ac præsidio, propter pericula, quæ se offerunt, dubitare, majus utique ac certius periculum esset, quàm quidquid nobis periculi ejus hostes possunt intendere. *S. Xaver. li. 4. ep. 15.*

Tu Christiano, tu Dei servo bonis operibus dedito aliquid existimas defuturum vel securitatis, vel alimenti? An putas, qui Christum pascit, non pascetur?

Qui credis terrena neganda iis, quibus cœlestia tam abundè tribuuntur? unde hæc tam pusilla de magnitudine Divinæ protectionis cogitatio? Fac quod in te est, Deus non deerit bonæ voluntati tuæ.

O magne Sancte. &c. f. 2.

Tibi persuadeas, pluris esse exiguum fructum sinè cujusquam offensione, quàm permagnum cum offensione multorum. *S. Xav. lib.* 4. *ep.* 3.

Illud est cœlo pretium charitatis, ut ejus violatio nullo possit lucro compensari. Pace turbatâ nec holocaustum redditur acceptum.

Indiscretus nimiùm zelus est, ut virtutes augeantur in aliis, virtutum Principem in se charitatem extinguere: Præstat pugillus substantiæ cum pace quàm regna integra cum discordia, & plurium offensione. Pax aurea, pax cœli prodromus.

O magne *Sancte*! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. *fo.* 2.

SCire aves, quod genus sit compendiosissimæ nundinationis? missis ambagibus dicam: induc sodes in animum largiri, quod dividamus egentibus. *S. Xaver. Epist. nov. l. 5. ep. 6.*

Agricolarum nemo ditior, quàm qui plurimum terræ semen inspergit. Nullus pauperum manibus fœcundior est ager; spem alii fallere possunt, iste nunquam. *Da* liberaliter, & semper, quod dare possis, habebis.

Quid otiosum in arcam aurum conjicis, quod tanto lucro pauperum manibus committeres? *Amas* aurum, ergo largire; sic enim multiplicatur.

O magne Sancte! Indorum *Apostole* &c. f. 2.

Nisi quotidianis orationibus & sacrificiis, quoad possumus, rependere conaremur, quantulum à nostra potest infirmitate proficisci, præstantibus meritis eorum, qui nobis ad DEI obsequium adjuvandis, & fovendis sese insigniter commendant in conspectu Divinæ Majestatis, gravem utique conscisceremꝰ culpam. *S. Xaver. epist. nov. l. 1. ep. 7.*

Temporalibus beneficiis grates non reddere piaculum sit, at longè maximum spiritualia, quæ prioribus longissimè antecedunt, immemori animo prosequi.

Imò hoc solum censendum est beneficium, quod animæ impenditur; hoc æternùm prodest, reliqua tempori serviunt,

Tibi mando, ut tu tibi ipsi curæ sis: sin minùs, quam tui spem habeam non video. *S. Xaver. lib. 4. ep. 14.*

Centum tibi moderatores, & his plures oculi invigilent, actum agent, nisi tu ipse te custodias. Centoculus Argus vaccæ uni in fabulis custodiendæ impar veritatem docet, nulli alienam vigilantiam sinè sua prodesse.

Cur te ita quisquilias, & veteramenta inter abjicis, ut curâ tuâ te indignum judices? Quidquid pretiosum, quidquid charum tibi est, quantâ illud, ne pereat, aut damnum subeat, curâ custodis! te infra hæc ponere damnosa humilitas est.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Ubi senseris quàm fallaces sint spes tuæ, & humanis opibus omninò diffisus in rerum omnium moderatore spem omnem posueris, tum verò plenè experieris Dei imperio ac nutu omnia gubernari. S. Xav. l. 2. ep. 3.

Quæ inter damna censemus, ùt plurimùm lucra nostra sunt; opes ablatas maxima inter lamenta querimur, ignari nempe nos per hæc â DEO doceri, ut ad tutiorem portũ spes nostras, id est, à creaturis ad DEUM transferamus.

Felix damnum, quod tam salutaris scientiæ fit magisterium. Deserant illa nos potiùs, quàm ut DEum deseramus.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

IN rebus etiam parvis magni ipsi existere conemini. S. *Xav. l.* 3. *ep.* 5.

In omnibus, quæ sub manum veniunt, parva, magnáve sint, idem est qui sibi, virtutiq; constat. In linia æquè ac in effigie tota se Magistrum probat *Apelles*; *Age*, quod agis, ut meliùs nemo possit. Utinam thesauri animæ terrenis pluris nobis essent! minima minùs lucra temneremus.

Quod magni Dei gratiâ fit, parvum censeri nequaquam potest, esto adeò in se minutū sit, ut oculos propè fugiat, non fugit tamen eos, qui illustres altiori vident lumine, quàm grande sit Optimo Maximo placuisse.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

Qui præest, facilitate excellat, affabilisq; in congressu atque sermone sit potiùs, quàm severus & gravis. S. Xav. l. 2. Epist. 9.

Qui aliorum regimini præficitur, plus est omnium, quàm suus. Tuos ut ames, omnes boni satis, quia tui sunt, ut oderis, nullus mereri potest. Etiam prodigi, manent filii, ut tu semper manere Pater memineris, bonis, quia tales sunt, malis, ut fiant meliores.

Coërce potestatem; mensuram agendorum non authoritas, sed amor constituat. Minimâ licentiâ utatur, qui habet maximam: possit quod licet, non velit, quod libet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Istiusmodi temporibus cum vita pro Domino amittenda esset, apparet, quàm imbecilla, infirmaq; sit humana natura. S. *Xav. l.* 1. *ep.* 15.

*A*nimo nemo nimiùm credulus suo fidat; etiam promittenti dubia sit fides. Grandia proposita cum puerorum bullis diffluntur, nisi quæ futura spondemus in arena, nunc & in umbra exercere inchoëmus.

*A*ntidotum cape, quo leviora tibi fiant, quæ gravare poterant; Promissa, quæ facis, divinæ gratiæ spe confirma, & immobilis eris; tantò enim animus ab afflictione magìs liberatur, quātò firmiùs per spem è cœlo roboratur.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fol. 2.

TAntum, tam exitiali ac perniciosum malum affert timiditas, ut cùm tuâ niti imbecillitate cœperis, ubi majoribus viribus opus esset, præsidiisque planè Divinis, cadas animo. *S. Xaver. lib. 3. ep. 5.*

Virum animo exuit, qui ab hoste omnium timidissimo, Timore sternitur. Exul è forti pectore semper sit timor.

Mala sola timenda sunt, amanda bona; Quid culpâ pejùs? hæc super mortem timenda. Quid meliùs virtute? hæc supra vitam appetenda. Si proinde fortis es, ne mala facias pavidus, ut ea perferas, impavidus esto.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

QUi per tumorem quendam sibi plus nimiò fidentem, ideóque dedignantem consulere alios in dubiis, & sapientiorum sententias exquirere negligunt, merentur multis à DEO gratiis, & profundis notitiis privari. *S. Xav. ep. nov. l. 1. ep. 7.*

Qui sibi nimiùm fidit uni, ridebitur à multis, quorum consilio si stetisset, omnibus, & sibi maximè honori fuisset, DEO justè pœnam irrogante, ut damno suo edoctus impotentiæ experimentum capiat.

Plures oculi plura vident. *A*usus consilii expertes mole ruunt suâ. Si stare vis, consilio tuo non innitere,

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

SUmmopere te oro, quæsoque, ut pro tua erga Christum charitate, ac studio Divinæ gloriæ, ubiq; Christi bonus odor esse studeas, teque exemplum omnium virtutum civitati proponas. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Multa tibi non licent, quæ humilibus, & in angulo jacentibus; quæ in his exigua, in te forent intolerabilia. Magna servitus, magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere.

Nulli agent benè, si tu operteris malè. Tota populi machina, cœlorum instar cardine tuo vertitur; si te contingat errare, cuncta in errorem trahes.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. fo. 2.

NEmo imbecillus est, qui scienter nititur ope *Divinâ. S. Xaver. l.* 3. *ep.* 5.

Miraris te non magna operari? causam habe, quia non magna speras. Tantùm per te Deus operabitur, quantùm se tua in eum fiducia protenderit; quantùm afferimus spei, tantùm gratiæ inundantis haurimus.

Ecce quàm brevi compendio multa possumus. Deficientibus licèt omnib9 erit, quod juvet, animumque sortis iniquæ pondere stratum erigat, dextera nempe omnipotentis. Hanc apprehende & rebus etiam perditis, erit, qui te servet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

DUo sunt, quæ maximam nobis spem afferunt Sathanæ impedimenta perrumpendi: præclari consilii conscientia, & providentia *Divina*. *S. Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Cùm rerum eventus nequeant aptari votis nostris, aptanda sunt vota eventibus, eorúmque moderatione minuendus dolor, qui nos tentat; hoc, non item illud, nostræ est potestatis. *Adeò* beatos nos esse in manu nostra est, modus, quo beati simus, non est.

Servire coactum, mancipii est: servire spontè, ingenui. Quæ intolerabilior insania, quàm nolle ferre, quod ferendum est, recusare jugum, quod excuti non possit?

O magne Sancte, &c. fo. 2.

MAgnum, ut par est, capite dolorem ex tam miserabili tot animarum interitu, quæ omni spe destitutæ quotidie pereunt. *S. Xaver. l. 2. ep. 3.*

Hoc unum est ex omnibus, quòd justas excutere Justo lachrymas possit, animarum pernicies. Quæ deflemus reliqua, plus bonitatis habent, quàm malitiæ. Ut bonum in virtute statuo, extra quam bonum non est, sed videtur, ita malum *Dei* offensâ circumscribo, præter quam malè dicitur aliquid malum.

Fame perire, si juvare possemus, Tyrannidem crederemus: & animæ non unius interitum sinè motu spectare possit esse tolerabile?

NOs animorum nostrorum medico multùm egere video. *S. Xaver. l. 2. ep. 4.*

Longè pluribus anima quàm corpus morbis subjacet; cur minorem illi præ isto adhibemus curam? Nisi fortè animæ mala non sentiamus. *At* hoc supremum, & fatale malum est, dum pericula nostra nescimus, & nec advertentes perimus.

Optimè sibi consulit, qui os Domini consulit, qui cum Dei vicario deliberat, nunquam errat. Cæcutimus in rebus nostris, perque varia delabimur, nisi ad manum sit filum, cujus ductu nos periculis eximamus.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

VUlgò mercatores ita sibi persuadent, si animorum suorum, conscientiæque suæ negotium agant, se continuò decocturos. *S. Xav. lib.* 3. *ep.* 7.

Plus sanè literis ac re ipsâ nummi, & numinis amor in eodem corde conveniunt; divites se fieri posse non credunt, nisi DEI timorem sepofuerint. Grandis error! quem quotidiana detegit experientia, dùm malè comparatæ, pejùs decoquuntur opes.

Ut omnibus, sic divitiis, Dei benedictio necessaria, sinè qua ætatem non ferunt, nec posteros solantur, iis dilapsuræ viis, quibus venerunt, iniquis.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Vitiosorum contagio, ne tepiditati atque ignorantiæ nostræ noxia sit, abundantiori DEI gratiâ, efficacioribusq; auxiliis eluctandum est. S. *Xav. ep. nov. li.* 1. *ep.* 7.

Felicitatis pars est in bonos incidisse; magna mortalium pars plurimam scelerum colluviem ignoraret, nisi pejorum consortiis erudiretur ad vitia: ut enim peste afflatis cohabitare, nec malo eodem involvi, res est plenâ miraculi, ita scelera omnia celeriùs quàm tabes affricantur.

Fuge, fuge; proniùs est malum hoc vitare, quàm, ubi te immiseris, non eodem corripi.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

Vos oro, quæsoque, ut omni vestrarum virium, humanæque sapientiæ & existimationis fiduciâ abjectâ vestras omnes spes, cogitationésque defixas habeatis in uno Deo. *S Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Scientiæ humanæ, artes, machinæ, stratagemata, omnisq; quam orbis usque ad insaniam colit, politia ludi sunt pueriles, conatus irriti, ludibrium cœli.

In iis, quæ certissima jurâssemus principia, nos turpiter delusos comperimus, seróque discimus humani ingenii sphæram arctiorem esse, quàm ut prævidere omnia, aut providere singulis possit

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

LOngè majori perfruebar voluptate in horribili tempeſtate periclitans, quàm deinde præſenti periculo liberatus. S. Xaver. lib. 2. ep. 6.

Multùm intereſt, quo res accipias animo; non enim objecta lætum, triſtémve faciunt, ſed animus ad illa. Si altior periculis ſit animus, hæc ad mentis ſublimitatem non pertingũt. Mediis in vitæ periculis dulcius eſt amanti otium, quàm ſi univerſis mundi cupediis frueretur.

Hoc eſt animam ſuam odiſſe, ut ad intimiorem Dei amorem perveniat, quo nemo attingit, niſi qui ſui oblitus Dei meminit.

O magne Sancte! &c. f. 2.

GEnus est insidiarum hostis tartarei majorem alibi Divini obsequii spem ostentare; ut videlicet sollicitet, atque evertat eos, qui utiliter, ubi sunt, operam navant Deo. *S. Xav. lib. 2. ep. 8.*

Semper humani aliquid admixtum latet, dum votis aliò rapimur, quàm quò æternæ mentis nutus destinavit. Illo nos loco, non Deum, sed nosmet quærimus.

Ut sapienti ubique patria, ita virtutis studioso vel ubique exilium, vel ubique patria est. Exilium, quia est extra illam, ad quam creatus est regionem: Patria, quia ubique est Deus, quem Patrem colit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. folio 2.

ESto, versemur non modò in terris barbarorum, verùm etiam in Dæmonum regno, tamen nulla neque barbaria, neque Dæmonis rabies quicquam nocere nobis poterit, nisi permissu, concessúque præpotentis Dei. *S. Xa. l. 3. ep. 4.*

Ibi plus est auxilii, ubi plus imminet periculi, secundùm indigentiæ nostræ modum gratiarum Deus suarum mensuram accommodat, & licèt media in humanis deficiant omnia, omnibus ille providebit.

Si omnis inferni rabies tibi uni evertendo studeret, ridenda non timenda forent hostium conamima, quibus firma in *Deo* spes recumbit.

O magne Sancte, &c. f. 2

MIhi pergratum esset, vos unà cum animis vestris cõsiderare, quàm multa *Deus* vestro vitio facere omittat; atque hæc malim vos intueri, quàm quantas res per vos Deus efficiat. *S. Xaver. l.* 4. *ep.* 14.

Non quid à te factum, sed quid fieri debuisset, si in censum voces, ingens obligationis onus tibi incumbere agnosces, dum plura factis omissa comperies.

Nostro vitio, non Numinis gratiam offerentis parsimoniâ tot intercidunt bona, quæ præstò Dei gratiâ fieri possent; non esurimus nempe Justitiam, famésque modica paucis expleri se patitur.

O magne *Sancte*, &c. f. 2.

SOcios vobis adſciſcite mūdo, Dæmoni, carníque infenſos, & acceptas ab his injurias ulciſcentes. S. Xaver. l. 2. ep. 2.

Non ſemper aſpernandi ſunt à mundi caſtris ad ſequenda Chriſti veſtigia transfugæ; acriùs tales ſæpius in animæ hoſtes ſæviunt, quia experti quantum ab iis mali acceperint. Qui ſcelerum trivit viam, triſtique experientiâ fraudes didicit, novit vitiis iraſci, eáque in ſe æquè, ac aliis ulciſci.

Ut ignis igne grandiores animatur ad flammas, ſic ſocii commilitonis ardor ſocio vires miniſtrat, flammasque vicino è foco trahit, quas in ſe non recepiſſet.

O magne Sancte, &c. f. 2.

SIc tecum reputa, quasi purgatorium isthic tuum sit, in quo jam hic noxarum uarum pœnas luas, & agnosce on vulgare DEI beneficium ndulgentis tibi, ut vivens, spiansque summo gratiæ quæstu :rum nâ longè minore, peccaa juventutis expies. S. *Xav.* *Ep.* . *nov.* *l.* 1. *ep.* 9.

*E*fficere, ut nihil nobis eveiat mali, nostrum non est, hoc otestatis nostræ est, ut casus dversos ritè accipias, & de mas bona distilles.

Vis non dolere? fer, quod ɪctum est; compendio quoam molestiam avertit, qui tut. *D*iscendo pati didiscimus ɪiseriam.

O magne Sancte! Indorum postole, &c. f. 2.

Sunt qui minimè ferendum putent avocari à consuetudine peccandi, quæ jam naturæ vim obtineat propter vetustatem. S. *Xav. lib.* 2. *epist.* 9.

Videtur deesse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt, nec jam adscititia, verùm adeò domestica sunt, ut naturæ jus obtineant, nec avita de sede pelli ferant. Non desperandum tamen; nulla quercus tam pertinaciter radicata, quæ evelli nequeat.

Grande malum consuetudo! quod ut certiùs vitetur, fugienda sunt scelerum initia, vel ipso in limine conterenda, ne serpant, crescántque in malum immedicabile; ubi semel virus corpus attraxit, ægerrimè depellitur.

Quos animi ac virtutis indoles adeò commendàrit, ut apti ad Religionem censeantur, ii diu ac multùm exercendi sunt, probandique, donec illorum virtus multis & magnis experimentis spectata sit satis. *S. Xav. in vita* . 6. *cap*. 14.

Ut revocare à Religione impium est, ita suadere periculosum; Dei hoc beneficium est: homines se non misceant. Horum nec suadentium consilia, nec avocantium hortamenta locum habeant.

Certum Divini amoris testimonium est vocatio; quos in sui sequelam vocat, majori gloriæ destinat.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Spectatur virtus ex sui ipsius victoria, & turbulentorum animi motuum, cupiditatúmque sedatione magìs quàm ex specie quadam Pietatis, lachrymis, suspiriis, acríque corporis vexatione, quæ quidem mortificatio corporis ad exuendum veterem hominem, novúmque induendum refertur. *S. Xaver. vita l. 6. cap. 4.*

Vince te ipsum: ùt ordine, ita utilitate primum est piè vivere volentibus documentum, quod nisi quis usu ipso didicerit, semper hærebit in limine, nec ullum in spirituali vita gradum promovebit.

Externa, quæ hominum oculos subeunt, opera ut inani gloriolæ, ita simulationi plurimùm obnoxia sunt.

Videte, quò tandem evadant subiti isti & immaturi fructus charitatis; quàm periculosi magni conatus sint, nisi conatibus vires respondeant. S. *Xaverius.* *lib.* 3. *ep.* 5.

Magna bona magnis malis sunt obnoxia, vixque sinè grandi periculo grandia suscipiuntur molimina, inter quæ illud maximum, si quis viribus graviora ausus author audiat operis imperfecti, ludibrium factus hostium, & obex posterorum.

Charitas magna virtus, si vera est, si tamen *Amori*, Timoríque DEI superædificata non sit, carnalitas est eósq; protuberat fructus, quorum diu pudere posteros oportebit.

NE animo frangaris, quantumvis multa fiunt, quæ vides ab hominum fœce pravè ac sceleratè fieri. S. Xaver. Epist. nova. lib. 1. epist. 10.

Nihil quicquam pulchrius existimo in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, & nullius petere; indulgere promptè petentibus, & nihil, quod indulgentiam petat, committere; horum & facilitas & integritas suos æquo jure in amorem cogit.

Magnorum rei scelerum igni magnam aggerunt materiam; æterno, nî resipiscant; sacro Divini amoris, si accendatur, ut diligat plurimùm, qui peccavit multùm.

O magne Sancte! &c. f. 2.

QUi præest, ejusmodi sit, ut animos tum omnium, tum verò alumnorum, quibus præfuturus est, omni ratione devincire sibi velit & possit. S. *Franc. Xaver. lib.* 2. *ep.* 9.

Magni nunquam leviter errant; & sibi & aliis nocui; procerus, quò remotior est ab imo, eò fortiùs alliditur, si corruerit; Superior quantò suis eminentior est dignitate, tantò sit à lapsu remotior. Hâc virtutis opinione suorum animos ita devinctos tenebit, ut nutus imperii locò sint habituri.

Hâc ratione tutum est subditos cogere, severiori minimè; rabiem ab iis citiùs, quàm obsequium extorquebis.

Lenitas nihil non efficit, acerbitas planè nihil. *S. Xav. l. 4. ep. 10.*

Oro te, ut erga gentem universam tam primarios & Nobiles, quàm plebem infimam præcipui semper amoris indicia exhibeas. Inde sinè dubio sequetur, ut omnes te vicissim ament; quod si eris assecutus, pronior erit cursus, uberiorque fructus ministeriorum. *S. Xav. ep. nov. lib. 1. ep. 11.*

Impetus rarò boni author fuit, evertit citiùs omnia, quàm ædificet. Moderatio semper victrix; quotquot etiam duros aggreditur animos, flectit, & in suam nullo nisu ducit sententiam.

Quòd benignè, suaviterque agendo non evincitur, coactè haud poterit extorqueri.

Illud semper ferè propositum habeo, quod ex optimo Patente nostro Ignatio sæpius audivi: omni nobis ope atque operâ enitendum esse, ut nos ipsi vincamus, timoresque pellamus omnes, qui impedimento esse solent, quò minùs spem omnem reponamus in uno DEO. S. *Franc. Xaver.* *l.* 3. *epist.* 4.

Qui ea, quæ sua sunt, non plenè deserit, *DEVM*, animique pacem non inveniet. Nisi moriatur vetus homo, non vivet novus. Mori debet, quidquid vivit, cupiditas opum, ambitio, sensus.

Vbi non nostra, sed DEI per nos causa vertitur, quid solliciti metuamus? *Aget* ille suam, plusquam nos.

IN qualicunque successu tibi certa illa consolatio est, per te non stetisse, nec imputandum culpæ tuæ, quod secùs evenerit. *S. Xav. Epist. nov. l.* 1. *ep.* 15.

Bonum habemus *Dominũ*, nihil ab ullo postulat, quod illico præstare non possit. Non effectum à nobis *DEVS* sed affectum, curam non curationẽ, petit.

Conatui deesse successum DEI nobis propitii sæpe est beneficium, qui si operi responderet, vel nobis, vel *Divinæ* gloriæ malè consultum foret: nobis, ne extollamur, huic ob fines occultos. In magnis etiam voluisse magnum est.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. *lo.* 2.

QVi sinè consideratione vivunt, in offensiones sinè fine prolabuntur, & longo usu hebetante morsum conscientiæ bibunt iniquitatem sicut aquam, nescientes quid faciant, dum extremam perniciem sibi miseri consciscunt, & aleam ludibundi jaciunt sempiternæ damnationis. S. *Xaver. Epist. nov. l. 2. ep. 2.*

O homines non homines, in quibus ratione sopitâ soli vivunt sensus! imò ne mala ipsi sua gravissima sentiant, etiam sensum amittunt.

Quomodo peccati reus tam sævo hospite intra pectus latente agere securus potest? & tamen, quos flere oporteret, rident in rebus pessimis, jocos ducunt in seriis.

NEque etiam te fugit, quantum negotii sit homines erudire. S. *Xav*, *l.* 2. *ep.* 9.

Nihil quidem nunc vulgare magìs quàm aliorum instituendorum curam sumere. Verùm tot inter pauci sunt ejus nominis mensuram pro dignitate adæquantes; multi *Doctores*, docti pauci. Hominum corda regere solius Dei est. Malè humanæ adscribitur industriæ.

Compendiaria homines erudiendi via est exemplum, ut agenda persuasurus parùm dicat, sed agat multa. Speculum, esto, mutum, plurima tamen docet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

ATtendite vobis, multi enim nunc apud inferos cruciantur, qui cum suis sermonibus aditum ad cœlestē beatitudinem multis aperuerunt, ipsi quòd falsâ, fallaciqꝫ sui opinione inflati germanâ animi submissione carerent, ad sempiternas illas pœnas devoluti sunt. *S. Franc. Xaver. l. 3. ep. 5.*

Etiam *Angeli* ceciderunt, & columnæ cœli titubârunt. Diu stetisse neminem à casûs periculo immunem facit: in croceis educati amplexati tandem sunt stercora, tantò pejores, quantò virtuti priùs addicti vixêre magis.

Humilis de se opinio pharmacum est, quo à periculo tuti reddimur; hoc sub cinere ignis fovetur.

NIhil optabiliùs Christiano, quàm mortem oppetere pro Christo. *S. Xav. l.* 1. *ep.* 10.

Vita, quæ ponenda est, ponatur benè. Ignavè mori sinè vulnere militem pudet. *Felix* qui mortem, quam ei nascendi conditio necessariam reddit, virtutis facere testimonium potest. Vide hominum vanitatem, pro verbulo in necem ruunt, & nos pro *Deo* fatis cedere recusabimus?

Postquam CHristus vitam pro nobis posuit suam, promeruit nostram; nec potiori nos prosequi favore potest, quàm si pro se moriendi viam aperiat.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, maxime orbis Thaumaturge, &c. *fo.* 2.

TE vehementer oro, ne obliviſcatis tui in virtute progreſſûs, neque enim te fugit, qui in virtutis via non progreditur, regredi. *S. Xav.* *l.* 4. *ep.* 5.

Non quieſcendi hic locus eſt, ſed eundi. Viatores nos voluit DEUS, qui æternitati per momenta propinquamus. Par in hoc omnium, qui nati ſunt, conditio, illa diſpar: quòd ad infelicem iſti, beatam alii properent regionem. Sic currite, ut comprehendatis.

Periculoſa quies eſt: malignus torpor eſt ſpiritûs: vires extenuat, tantò periculoſiùs, quantò minùs ſuum videt periculum.

O Magne Sancte, Indorum Apoſtole, &c. f. 2.

CAve tædium te subeat quamvìs ingrati laboris, aut fastidio debilitatus remittas acrem & invictam perseverantiam in benè cœptis S. Xaveri. Epist. nov. lib. 1. ep. 11.

Magna Deus inchoantibus pollicetur præmia; sed quæ non dantur nisi perseverantibus. Incipere vel ignavi solent: perficere grandium est animorum. Nihil à te factum crede, si restet aliquid faciendum. Centū anni innocentiæ minùs prosunt, quàm momentum ultimum perseverantiæ.

Quid te deterret? difficultas? at major fuit incipere; perge & usu ipso facilitatem nanciscêris.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

SUmma illa est, certissimúmque præsidium, ut contra hostem magno, præsentíque animo sis tibi penitus diffidens, & fretus DEO. *S. Xav.* *l.* 3. *ep.* 5.

Plus unicuique à semetipso impendet metûs, quàm ab hoste antiquo; neminem vincet iste, nisi qui succumbit animo priùs; nulli nocet, nisi volenti. *A*deò plus nobis obsumus, quàm totus infernus.

Nullis faciliùs juratus hic hostis armis confunditur, quàm sui diffidentiâ, non pusillâ, sed erectâ in DEum. *D*iffide tibi, cave tamen hosti vel ungvem cedas. Habes à latere, qui te tueatur, Deum.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

JUvabit non parùm persuasum, perspectumque cunctis esse, latum intercedere discrimen inter peccata ex fragilitate, à benè alioquin animatis ad bonum, in tentationis ac improvisis illecebrarum insidiis quasi furtim expressa, & inter flagitia consuetudinis inolitæ sinè pudore frequentata. Incredibiliter hæc, quàm illa graviora sunt, illa his remissiùs faciliora. *S. Xav. Ep. nov. l. 2. ep. 2.*

Quòd fragilitas peccet, humanum est, at ubi consuetudo accessit, fit contumacia, illa meretur veniam, ista supplicium. Invenit *Adam* veniam, Lucifer pœnam; ille fragilitate, intelligentior iste contumaciâ deliquit.

Mihi nemini vis adhibenda videtur, nisi fortè amoris vis & charitatis.

S. Xav. l. 2. ep. 9.

Compedes corpori injici, non animo possunt; liberum hunc Deus voluit, ut arbitrio suo dexteram eligat, vel sinistram. Quæ coacta sunt, diuturna esse non possunt; ætatem non videbit probitas, quæ extorta est, tamdiu durat, quamdiu vis extrinseca vires non amittit.

Nullis hominis animus potentiùs ligatur vinculis, quàm benevolentiæ, his flectitur ad arbitrium. Dura contumacem faciunt, suaviora obsequentem. Si allicis, sequetur animus, qui si minas observet, retrocedet.

O magne Sancte, &c. f. 2.

VObiscum reputetis complures esse homines facinorosos, qui si abstersâ superioris vitæ fuligine in eadem, ubi vos estis, schola virtutis divinitùs collocarentur, non modò vitæ rationem immutarent, sed etiam vos sedulitate, & virtute non sinè vestro pudore præcurrerent. S. Xa. l. 3. ep. 5.

Ut Angelus in teterrimum abiit Dæmonem, ita & scelestissimus audire momentò Angelus potest.

Sollicitos esse decet eos, qui plures à Deo favores sunt sortiti, ne hos demeritis amittant, & in croceis educati tandem stercora amplectantur.

O magne Sancte! Judorum Apostole &c. f. 2.

NOn invenient pacem sinentes se agi suis potiùs ipsorum inordinatis affectibus, quàm bonis desideriis in eorum mentes divinitus immissis. *S. Xav. l.* 5. *ep.* 2.

Sola virtus veram creare pacem potest; sinè hac nemo vivet placidus. Te volo testem: si nunquam mœstus es, nulla spes animum tuum futuri expectatione sollicitat, si per dies noctesq; par & æqualis animi tenor erecti tibi sit, hæc si habes, pervenisti virtute auspice ad summam animi pacem.

Qui affectibus suis frœna laxant, nunquam quieti, motibus feruntur assiduis.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

ILlud procerto affirmare audeo, tanquam aurum in fornace probari eos, qui *Deum* & proximum diligunt. *S. Xav. l.* 2. *ep.* 11.

Cos amoris dura est: hâc exercetur, qui amatur, non ut atteratur, sed perficiatur. *Reci*procæ erga amatum dilectionis indicium est, libenter pati: Quanta cosmophili pro re amata ferunt, & *Deus* à Theophilo pauciora mereatur? verbis diligere politicum est, germana dilectio patiens est, æstum ferre novit, & hyemem.

Nunquid bona sint, quæ dat Optimus, vel ut faciat bonos, vel ut tales coronet? Malum est malè uti bono.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

PLerosque homines hodie magis hominum pudet, quàm *Dei*. *S. Xaver. lib.* . *ep.* 17.

Si oculos hominum ferre on possumus, quomodo ira- conspectum DEI sustinebimus? nihil huic occultum, pa- ent universa. Quid prodest re- ondere te, & oculos hominũ, uresque vitare, si temetipse stimulante conscientiâ continuò celestum debes intueri.

Optima securitas nihil agee, cujus te unquam pudere sit necesse. Si honesta sunt, quæ acis, omnes sciant: si turpia, uid : fert neminem scire, cùm k ipse scias, & sciat is, qui Iulex est? Te miserum, si conemnis hunc testem!

O magne *Sancte*, &c. f. 2.

SI submissione animi & prudentiâ instructus eris, non dubito, quin tui operis fructus uberes laturus sis. S. *Xav. l.* 4. *ep.* 5.

Humilitas & Prudentia multarum sunt, magnarumque rerum Parentes, & Magistræ. *Id. Ibidem.*

Humilitatis officia, præterquam quòd Deo grata sunt, & hominibus salutaria, non vulgarem etiam apud populum existimationem atque authoritatem pariunt. *Id. in eadem.*

Mira vis demissionis! observata rapit affectus, animosque vinculo omni potentiùs captivat, quibus in tua jura vocatis, facies de illis, quod voles.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Lubricum atque periculosum est negotium ad suum arbitrium vivere; omisso eorum qui præsunt, imperio. *S. Xav. l.* 2. *ep.* 1.

*A*doramus nostra judicia, cuique illud optimum, quod suum; quidquid in cerebro nostro natum, oraculi; quidquid ex alieno prodit, erroris vicem habet, plus sua cuivis opinio videtur habere ponderis, quam omnia sapientum placita.

Tutiori ille graditur viâ, qui nullam eligit, sed quâ ducitur, procedit, illiusque singulos passus definit judicio, cujus subest imperio. Nemo rebus suis oculatus est satis, estò sit centoculus, domi suæ caligat, talpa est. O magne Sancte! *Indorum Apostole* &c. fo. 2.

QUi exiguis virtutis & obsequii viribus magna suscipere negotia gestiunt, ubi se rerum mole sentiunt opprimi, tùm se stultitiæ damnantes onus abjiciunt. *S. Fran. Xav. l. 3. ep. 5.*

Mediocria summis tutiora. Non semper fervor est, se multis supra vires onerare; sæpe ambitio, sæpius præfidentia, certè semper imprudentia est; fitque, ut qui horâ unicâ justo gravius onus affectat, deinde impar sit omni per vitam reliquam peragendo.

Omnis tibi exotica singularitas esto suspecta; præcipitii admonet omne, quod nimium.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. fo. 2.

SIc quasi conventum inter Misericordiam & Justitiam *Divinam*, ut primæ benignitati condonentur ii, qui vitæ statu semel constituto infeliciter ex debilitate per lubrica non quæsitarum occasionũ præcipitantur in lethalem culpam: posterioris ultimi, qui nusquam interpolatâ nequitiæ licentiâ professionem quandam improbitatis usque ad ultimam vitæ lineam audent producere. *S. Franc. Xav. ep. nov. li.* 2. *ep.* 2.

Mors echo vitæ, sceleribus acta in sceleribus invenit finem. O insani! tot annos salutis comparandæ incurii negligim9, & momento fidimus!

Qui ad agonem pœnitudinem rejicit, nullam vult.

NE tibi placeas in fructu obvio; sic tecum reputa: si quid bonæ frugis moletrinâ elaboratur, totam ejus in solidum laudem esse magni molitoris & Domini, qui aquam affundit, unde versatur mola, & tota incitatur, & viget machina. *S. Xav. epist. nov. lib.* 2. *ep.* 4.

Quod in opere nostro malè cecidit, hoc nostrum est: *Dei* est, quidquid benè.

Quæ vanitas aliena jactare, iisque tanquam propriis gloriari? Nec pedis motus, aut dexteræ tuus est, nec cogitatio, quæ omnia sunt opus *Dei*, quid tibi remanebit? sed & ea, quæ in te, Dei sunt, momento quolibet tolli possunt.

O magne Sancte! &c. f. 2.

UT quisq; laboribus maximè spectatus erit, ita plurimùm sibi proderit & aliis. *S. Xav. l.* 4. *ep.* 9.

Generosus animus, *DEVM* semel expertus continuò sesemetipsum ad dura hortatur, & dicit: quid cessas anime? non est viri timere sudorem; multa potest generosa voluntas confisa *DEO*, quæ dejecto animo non credebantur possibilia. An nescis honestum omne in arduo esse.

Vide Regum curas, & erubesce, nisi ampliùs audeas, cui in votis est etiam cœlum occupare. Hócne regnum terrestri leviorem laborem mereatur?

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

NOn pauci ſunt adeò juris ſui, voluntatis, ac ſententiæ, ut nunquam ferè ſponte pareant ſuperioribus, niſi cùm jubentur facere, quod volunt. Cavete per DEUM immortalem, ne ex hoc numero ſitis. S. *Fran. Xaver. l.* 3. *ep.* 6.

Optima, maximeque diſcreta eſt prudentia, ſimplex, & rebus omnibus promiſcuè parens obedientia. Id ſupra Superiorem inferioris Privilegium eſt, quòd ille jubendo errare poſſit, hic obtemperando non poſſit.

Præſidis tui juſſa executus certior ſis te Dei voluntatem executum fuiſſe, quàm ſi lapſus de cœlo *Angelus* idem tibi nuntiâſſet.

QUi præest, talis utique esse debebit, ut in imperando obsequendi magis præseferat studium, quam imperandi. *S. Franc. Xaver. l. 6. ep. 9.*

Qui benè vult imperare, omnibus serviat, est necesse. Domini non regnant diu: qui jura dominii nimiùm violentus urget, non latè dominabitur. Aurigam plagiarium excutiunt equi; suavi demissione mandata si defers, nec importunus obtrudis, tum cogis subditum exequi.

His te præponi casus tulit, qui si *Deo* ita volente aliter cecidisset, tu, quem nunc coërces, Dominum adorâsses.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

Qui tuam ô DEUS dulcedinem semel interiore gustavit sensu, vitam ille sinè tuo aspectu acerbam putet, necesse est. *S. Franc. Xaver. l.* 1. *ep.* 5.

O si te nôssent homines, mi Deus! ùt ignoti nulla cupido, sic tanta esset agniti, ut ejus non frui præsentiâ morte morte amariorem reputarent.

Bestia est, quæ hoc solo hominis bono non super omnia delectatur; nec enim mellis, sed palati vitium est, si amarescat. Ubi depravatus est gustus, nectar fastidit, nec tamen ideo nectar esse desinit. Omnis sæculi dulcedo amator est plusquam felleus, si cum spirituali conferatur.

O magne Sancte, &c. f. 2.

PEcunia non exprimatur ab invitis, & pauperibus, sed à volentibus, & pecuniosis, ut in stipe corroganda & voluntas spectetur erogantium, & facultas. S. *Xaver. lib.* 1. *ep.* 6.

Malè simul cum nummis Numen quæritur; dare plerisque durum est, licèt palàm non faciant. *Armatæ* preces multa extorquent, sed quorum diu dantem pœniteat; liberalitas, si sollicitata provocatur, coactio est.

Anima opibus pretiosa est magis, ita in ejus lucro desudandum, ut nulla æris cupiditas suspicionem moveat; secùs enim fiet, ut animas à nobis arceamus, & opes non acquiramus.

CONvenit gaudere ibi nos esse, non ubi vellemus, verùm ubi DEI Domini nostri sanctissima voluntas, & regni ejus, ac majoris gloriæ rationes postulant. S. *Xaver. epist. nov. li. 2. ep. 7.*

Qui non se, & sua, sed unicè, ut debet, DEUM quærit, facilè variabilem illum varias ad orbis plagas appetitum sopit.

Variabilis ille genius, & huc, illùcve discurrendi aviditas inconstantis est animi nota. Ut melius ibi sit, quo anhelas, à Deo pendere credis? & quî successum speras, si ejus te subtrahis providentiæ, cujus favore speratam felicitatem debes adipisci?

O magne Sancte! &c. f. 2.

CErtùm sit nullis minis aut terroribus à pronuntianda veritate desistere. *S. Franc. Xav. l. 3. ep. 5.*

Veritas nunquam erubescit. Quod sol, idem veritas præstat universo; sinè illo tenebræ humana sopiunt negotia, sinè hac neque pax domi, nec in foro justitia, neque in mercimoniis fides stare potest.

Nullius magis rei tenacem, ac virtutis decet esse virum; ita verbum appretiet, tanquam creditum authoritatis, quam totam prodigit, qui fidem amisit: O quàm turpia ex mendacii satu monstra pullulant, doli, fallaciæ, strategemata.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

Cavete, ne eò quòd sitis antiquiores, idcirco recẽtioribus vos anteponatis. S. Xav. l. 3. ep. 5.

Ætas inter externa est, nec laudis, nec vituperii materiam præbet. Quid grandi natu sene dedecorosiùs, qui nullum præbet specimen, quo se probet diu vixisse, præter ætatem? Non quamdiu, sed quàm benè quis vixerit, interest.

Illud tempus ætati adscribe, quod DEO vixisti; tempus, quod benè impensum non est, periit, nec in annorum censum venire potest. Multi anni otio acti nullum tibi diem numerabunt; sic tu annos computa, & quàm senex sis, palam fatere.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

IMportunitates concoque sereno perstans animo: & occupationibus se undique oggerentibus te placidè commodans, sic, ut quantùm potes, efficias; quod supra facultatem præsentem est, æquâ mente prætermittas, aut differas: interim quibus facto non potes, verbo ut satisfacias, curans, blandè nimirũ excusando, haud te valere, quantùm velles ipsorum causâ, &, quod plerumq; non assequentes optatum mulcet, spem pro re præbendo. S. Xaver. *Epist. nova. lib.* 2. *ep.* 7.

Si nubes cœlum obducant, sol semper idem, illustrissima viri altioribus nixi principiis imago, ut in medio negotiorum concursu nec se, nec placiditatem perdat.

IN animum inducatis, id quod eſt, vos idcirco à gravioribus flagitiis abſtinere, quòd occaſiones Deum offendendi deſint, fruendi adſint. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Felices! dum peccare non poſſumus; morbi, paupertas, hæc beneficia præſtant: illi, quia corpus inhabile reddunt, iſta, quia genio vetat indulgere. *Sic* quæ mala noſtra credim9, beneficia ſunt: quæ tanquam iniquæ ſortis pœnas plangim9, *Divinæ* providentiæ dona ſunt.

Timendus eſt *DEVS*, cùm dat gratiam, timendus dum recipit, & cùm reddit pariter timendus; ejus enim miſeratio, non virtus noſtra eſt, quòd inter ruinas tot adhuc ſtemus.

O magne Sancte! &c. f. 2.

NEc in nobis, nec in familiaribus nostris quidquam conspiciatur, unde suspicio suboriri possit cuiquam, temporalia nos potiùs, quàm spiritualia captatum, & conquisitum ire. S. *Franc. Xaver.* *l.* 5. *ep.* 2.

Ut nemo duobus Dominis servire, ita nemo fructum metere spiritualem potest, qui lucris intentus est temporalibus; his avidiùs inhiando amittet illum.

Non novit animæ pretium, qui præter hæc alia lucra quærit; Christus rerum arbiter optimus animam totius orbis pretio antepoſuit, ut tuam aviditatem stimularet. Cave desideria tua ad quisquilias abjicere.

O magne Sancte, &c. f. 2.

Labores in excolenda gente veritatis, & salutis suæ cupida rectè positi magnos jucunditatis fructus afferunt. S. Xav. l. 4. ep. 1.

Nihil cogitari dulciùs potest, quàm copiosum sudoris sui fructum intueri properantem ad maturitatem. Hic fructus non putrescit. Fœcundiores animabus nulli sunt agri ; quod iis commiseris, fructum reddunt fœnore millesimo, quia totâ duraturum æternitate.

Nec gentibus tantùm, sed & sibi zelotes prodest: illis quòd veritatis luce sint donati, sibi quód gratiam in se Numinis auxerit, sibique unà, & illis ad cœlum gradus straverit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo 2.

NEmo se ipse fallat: non potest quisquam magnis in rebus excellere, qui non priùs excellat in parvis.

Qui parvo oneri ferendo non est, multò minùs magnum est laturus. S. *Xaveri. lib.* 3. *ep.* 5.

Parva parvi facere, vel quòd accurata non multùm conferant ad profectum, vel quòd neglecta parùm virtuti officiant, negligentis est animi excusatio.

Nisi à rudimentis inchoët literaturam tyro, inque primis literarum apicibus noscendis, pingendisque se exerceat, quem tu ab eo fructum expectabis? Initia rerum omnium in minoribus consistunt.

O magne Sancte. &c. f. 2.

Minimum nostri laboris fructum cùm approbatione hominum, maxima cum offensione eorumdem anteferendum puto. S. Xave. l. 4. ep. 10.

Dissidiis multos vel magnos animarum fructus interire videmus, quos erat latura concordia Id. Ibid.

Amari fructus sunt, qui inter altercationes colliguntur, pluribusque vermibus deformatis aut putredine absumptis similiores, dispendii plus secum adferunt, quàm habeant.

Nullus pretiosior, adeóque nec potior fructus est concordiâ, quæ hominem devincit, Deum placat, præsentes æquè ac posteros delectat.

O magne Sancte! &c. f. 2.

8. *Sept.* 6. *Id.* *Sept.*

AUroram en exortam nunc videmus, quandoquidem ex Sanctis *ANNA*, & *IOACHIM* nata est illa Virgo sinè peccato Adami super mulieres omnes Sanctissima, nomine *MARIA*, cujus virtus & sanctitas super omnia Deo minora excellens incomparabiliter eminet. S. *Xav. Ep. nov.* *l.* 4. *ep.* 1.

Exite de tenebris, qui sedetis in umbra mortis; ùt suam volucres, ita nostram vos Auroram blanda voce salutate. *Aurea* hæc mortalibus hora, aureum orbi reducet sæculum.

Bonum nobis manè signat hæc aurora: diem optimum auguratur: tenebras & tenebriones fugat.

O magne Sancte! &c. f. 2.

9. *Sept.*

DEo Domino nostro multas gratias debes, & referas, censeo, quòd te ibi posuit, ubi ne volenti quidem esse otioso liceat: adeò assiduè plurima circumstant, certatimque se in omnes horas, quæ agas, oggerunt. *S. Xav. ep. nov. l. 2. ep. 7.*

Damna otii tanta sunt, ut non nisi cum otio ea assequaris. Si orbem inspicias totum, plenum nihil agentibus invenies.

Ubi otium, omne ibi vitium. Ille beatior vitæ status, quo minimè licet esse otioso. Otium quippe & acedia, detractio, amor, vaniloquia, hisque similia mala synonyma sunt. Vide quantis te malis labores expiant.

CIvitatis universæ amorem, & conciliabis tibi & tueberis diligenter. Permagni quippe id refert ad flectendas, quocunque opus sit, hominum voluntates. *S. Xav. l. 4. ep. 5.*

Quem odit vulgus, fugit ipse, fugatque ejus alloquio reliquos, ut sic exosi hominis verba nec fidem, nec pondus inveniant.

Cave ullum verbo, minùs facto, imò nec oculo asperiore vel leviter offendas; vel minimus obesse conatibus tuis potest. Non magnæ vires necessariæ sunt ad bonũ etiam grande præpediendum; si alia arma desint, lingva potis est.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2,

Tristem & sollicitam vitam agentes nihil in pietate & virtute progrediuntur. *S. Franc. Xaver. lib. 1. ep. 5.*

Poteſt quisque ſuiipſius & benefactor, & conſolator eſſe maximus. Nihil volendo, plus ſibi ſic largitur, quàm ſi orbem dono acciperet.

Æquè ſemper hilaris eſt, qui habet quæcunque vult, & qui non vult, niſi quæcunque habet. Beata illa voluntas, quæ habet, quidquid vult, quia non vult, niſi quod poteſt habere. Adeò fortunæ quisque ſuæ faber eſt, & per affluentiam, & per defectum omnium tranquilli vivere poſſumus. Voluntate res tota conficitur.

O magne Sancte! &c. f. 2.

CUm DEVM delicta nostra & multa & magna non lateant, illa nos cogitatio valde ſollicitat, ne Divinæ opis aura conatus noſtros ad fines non provehat optátos, niſi magna quædam motum, vitæque emendatio in nobis extiterit. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Quamdiu ſcelus urget conſcientiam, propitium nemo ſperare Numen poteſt, quo averſo, quid proſperi ſperabim9 ſucceſſûs? contra torrentem niti, eſt parùm proficere; DEO adverſo tentare aliquid, eſt DEVM tentare.

Primum agendorum auſpicium, ut ſit ſecundum, à conſcientia manet.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. f. 2.

Concedendum pio dolori justum spatium. S. Xav l. 5. ep. 5.

Quis putas justus est dolor? sanitatem amisisti? sed hæc tibi vires, animosque ad peccandũ adjecisset. Fur opes abstulit? irritamenta malorum perierunt. Fama tua læsa est? prodest ad demissionem.

Temporalium omnium jactura guttam lachrimarum non meretur; meretur mare vel minima DEI offensa. Si peccâsti, si Iustitia opprimitur, si hæresis triumphat, & vigent scelera, hoc equidem dolendum est, nec priùs dandus tam pio dolori finis, quàm doloris materies defecerit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

NUllum adversus Diabolum remedium cruce præsentius. *S. Franciscus Xaver. l. 3 ep 4.*

Cruce victus Dæmon hanc etiamnum fugit, nec ope ullâ promptiùs fugatur. Vide quàm imbellem habemus hostem, vel signo (quid magis ad manû?) pellitur. Nostræ proinde adscribendum est ignaviæ, nisi procul à nobis arceatur.

At quam tu crucem credis maximè efficacem? non quæ mole constat quadrifaria, sed ea, quæ moribus tuis exprimitur, optima est: corporis castigatio, amor opprobriorum, sui contemptus crucem efficiunt.

O magne Sancte! Indorum *Apostole*, maxime orbis Thaumaturge, &c. *fo.* 2.

SI quos expertus clementiâ, & beneficio ad officium non allicis, tempus oblatum tibi puta exercendi illius operis misericordiæ, quod in opportuna castigatione merentium, nisi malo ad bonum adigi valentium situm est. *S. Xaver. Epist. nova. lib. 2. epist. 7.*

Diversa ingeniorum est indoles: plerique reguntur comitate; sunt tamen, qui non moventur, nisi gravi impulsu; altùm sopiti ad sibilum auræ tenuis non excitantur, clamoribus validis opus habent, ut veternum abjiciant.

Injuria fit bonis, si indulgeatur malis. Par crudelitatis genus est condonare omnibus, ac condonare nulli.

ORa DEUM Dominum nostrum, ut tangat corda divitum aliquâ misericordiâ tot infelicissimorum ultimâ egestate contabescentium. *S. Xaveri. Epist. nov. lib. 2. ep. 11.*

Quidquid in thesauro tuo superfluit, pauperum est; quibus eges, tua sunt: reliquorum, quæ in arca tua sunt, custos es, quæ nisi egentibus ultro largiaris, alieni factus es peculii raptor. Excute; quæ tua putas? quanta ibi superflua? his cœlum eme, hoc tibi nunc venale prostat.

Quàm fortiter agglutinata sunt divitum corda pecuniis! priùs vitam sunt, quàm cistam perdituri.

O magne Sancte, &c. f. 2.

17. Sep. 15. Cal. Oct.

ILlud quoque meminisse oportebit, authoritatem apud populum in sacris reb9, & salutaribus donum esse Divinum, quod bonis viris ac piis deferatur ultro, callidis & humanâ arte quærentibus negetur. Ne scilicet humana perversitas DEI dona contemptui habeat. S. Xa. vita l. 6 ca. 17.

Impensè igitur rogitandus est Deus, prorsus ut vobis indicet, atq; aperiat impedimenta, quæ divinis conatibus, quò minùs sua per vos dona hominibus impertiat, per imprudentiam objicitis, committentes utique, ut authoritatem vobis abnuat, existimationem que ad id opus necessariam. Ibidem.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

18. Sept.

MAgister orandi optimus metus est, præcipuè cùm non aliunde, quàm à Deo spes auxilii affulgeat. *S. Xav. Ep. nov. li.* 2. *ep.* 12.

Rerum affluentia immemores nos DEI facit, ad quem adversa nos redire compellunt. *D*iffluimus nempe prosperis, nobisque eripimur, ut minùs opis *D*ivinæ recordemur. Gravantur corda vanitate, ut evolare cogitatione ad altiora nec velint, nec possint.

O felix adversitas delitiis omnibus longè præferenda, quæ nos ad saniora consilia compellit vel invitos. Absit indulgentia, quæ me DEI, meique incurium reddat.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

CErtum habe, plurimùm, ita ad insigne Dei Domini nostri obsequium actutum, si curaveris unicè necessariam rudis ætatis informationem assiduè, ubique, ac diligenter exerceri. *S. Xaver. Epist. nov. l. 3. ep. 5.*

Cave credas ullâ in re meliùs collocari vel pecuniam, vel operam. *Ibid.*

In eo totius vitæ cardo vertitur, ut iis Juventus legibus imbuatur, quæ adultum Deo faciant gratiorem. Ex juvene oleastro non crescet olea. quæ semina jeceris, illa maturescent.

Torpent ingenia desidiosa Iuventutis, nec in ullius honestæ rei labore exercentur.

VEre dicam: nulla mihi magìs te displiceo, quàm quòd obstare nequiverim iis, quos nôsti, tam immaniter Divinum Numen offendentibus. S. *Fran. Xav. Ep. nov. l.* 3. *ep.* 8.

Amanti Deum animæ gravius nequit infligi vulnus, quàm si amatum videat crucifigi; nec enim amans est, qui vel lædi amatum aspicit immoto vultu.

Peccantibus resistere maximi est opus meriti ferax, dignum cui conatus omnis impendatur. Evacuâsse damnatis inferos, captivos expedivisse ferro, morti Christum eripuisse, quantũ foret gloriæ incrementum! minùs tamen ista placerent Numini, quàm peccatum præpedire.

O magne Sancte! &c. fo. 2.

DEUS roborat eos præsertim, qui seipsos in rerum etiam abjectarum tractatione egregiè vincunt. S. *Xav. l. 3. ep. 5.*

Quos imbelles corporis & ingenii viribus natura fecit, sæpe usque ad plurium admirationem ingeniosis & fortibus excellere videmus, quia quod natura parcior negavit, Numinis gratia liberaliter compensat. Non quære jam, cur huic ex voto fluant omnia; in promptu causa: hoc præmium est humilitatis.

Non qui plura numerat virtutum opera, sanctior illico est censendus; ille facit plurimùm, qui plurimùm se vincit.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

NEque aliud quidquam timere debemus, nisi ne cœlesti Numine offenso intentata improbis supplicia incurramus.. *S. Xaver. lib.* 4. *epist.* 8.

Ridicula hæc timendi materia est, quam angve pejùs humanum genus aversatur; infamia, morbi, egestas bona sunt, & quomodo apud sapientem bona metûs objectum sint? si malum necdum noscis, disce: nihil sub sole malum, nisi peccatum; quod velle nemo potest, nisi malus.

Utinam mala inter & bona probiùs facere sciremus discrimen! sed heu! cæcitatem nimiùm quantùm obviam.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

DEt utinam citò Dominꝰ noster, quàm dudum captamus, & dudum expectamus significationem certam suæ sanctissimæ voluntatis circa res, & loca, ubi accommodatiùs ad rationes Divini ejus obsequii collocare me operam, ipsi cordi est! *S. Xaver. Epist. nov. li. 3. ep.* 12.

Ejus ex nutu pendeamus, per ipsius gratiam promptissimi ad continuò exequendum quidquid, & qualecunque id fuerit, quò se inclinare decreverit. *Id. Ibidem.*

Tum te judica beatissimum, cùm pilæ instar in magni lusoris manus te conjeceris, quamcunque in partem projici æquè facilis.

O magne Sancte! &c. fol. 2.

24. *Sept.*

DElicta delictis cumulamus, dum conamur nos omni ope purgare. *S. Fr. Xav. li. 4. ep.* 10.

Quòd si culpam in alios transferre non possumus, non dubitamus in ipsam conferre naturam. *Ibid.*

Errores agnitio, optima est ad emendationem dispositio, quam frustra ab illo expectabimus, qui semper excusat.

Si homo es, malè te credis impeccabilē, satiùs est id, quod humanum est agnoscere, quàm arroganter palliando iterum errare. Amor proprius mille causas prætexere novit, unam ut exculpet inertiam.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maximè orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

DEUS bone! si intelligerent homines, quantâ, quàm liquida voluptate careant idcirco, quòd minùs fortiter Dæmonis conatibus resistant! S. *Xav. l. 3. ep. 5.*

Qui se Dæmonis castris totos ex toto eripiunt, ac sub signa CHristi non tam corpore, quam animo convolant, hi cœlestis dulcedinis prægustum non avarâ manu, sed pleno alveo in se copiosiùs derivari sentiunt, quàm ut ei ferendo facilè pares esse possint.

Tyrannus in suos Dæmon, mille suos pœnis affligit, & mirum! servitur ei tam avidè, tamque constanter, ubi onus *DEI* dulce paucos habet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

HUmanam laudem Crucis instar habeatis, quippe quæ vestrorum vos admoneat vitiorum. *S. Xaverius lib. 3. ep. 5.*

Qui rem ex æquo ponderat, vulgi plausum nihilo pluris facit, quam culicum stridores & graculorum voces. Quid miseriùs quàm ab eorum judicio pendere, qui nec ritè æstimant, nec aptè discernunt!

Vel te laude dignum judicas, vel indignum; si dignum? desinis esse laudabilis; si scis indignum, & tamen laudanti applaudis? gaudes illum mentiri. Ama esse laudabilis, non laudari. Desinis esse bonus, dum vis dici.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. folio 2.

DEO, ubi volet, facilè est, per paucos id ipsum efficere, ad quod requiri videbatur opera multorum. *S. Franc. Xaver. epist. nov. li. 2. ep. 14.*

Humana consilia grandi negotio, ut ad votum cedant, plura providere debent media, non item Divina. Talis Deus artifex est, qui mediorum defectum nutu supplere potens ea per pauciora efficit, quæ minimè poterant expectari.

Malè quereris, te solum ad transtra relictum, solum jugo trahendo destinatum; erras. *Solus* non es, si *Deus* tecum est, quid alios cupis auxiliatores? Decies millies centena millia nutum ejus expectant, ut tibi, si opus sit, fœnerentur.

VEriſſimè dictum eſt, de mortalem trahentibus vitam, eos, ut ſtatûs & conditionis officium teneant, advenarum eſſe ſimiles & peregrinantium oportere, nullius implicatos affectu loci aut rei, quò minùs liberè volitent, & expediti emineant, quocunque ratio itineris, ac ſpei compendium invitaverit S. *Xav. Ep. nov. l.* 3. *ep.* 12.

Quid tam profundas in terram mittimus radices, quaſi loco nunquam movendi? hæc palatia, hæc, quibus teneris, ſolatia deſeres, velis, nolis.

Tibi ceſſit locum alius, tu cedes alteri; ſic per viciſſitudines ibimus, ibitis, ivêre omnes, ibunt & illi, quibus tu ceſſeris.

29. *Sept.*

IN ipsis incommodis mirificè gustatur DEVS. S. Fra Xav. l. 4. ep. 9.

Proprium est Divinæ gratiæ beneficium, sinè alembyco & chimia fel melle commutare: quod natura indulsit apiculæ, ut vel ex absynthio mel noverit elicere, idem gratia virtutis studiosum edocet, ex amaro nectar sugere.

Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; araneæ vel rosa venenum propinat, & si depravatus effusâ bile palatus dulcia potest, ut amara gustare, cur virtus apud heroëm animum efficere nequeat, ut adversa supra ambrosiam sapiant.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

QUod si, quantùm dies noctesque elaborant literati in comprehendenda rerum scientia, tantundem in solido scientiæ fructu elaborarent; & quam diligentiam adhibent in cognoscendis his artibus, quibus student, eam in docendis imperitis, quæ sunt ad salutem necessaria, adhiberent, næ illi haud paulò paratiores essent ad reddendam rationem Domino dicenti: Redde rationem. *S. Franc. Xaver. l. 1. ep. 5.*

O Docti, quàm estis miseri, si doctrina vestra serviat vanitati! eviſceratis cerebrum, ut cum aranea prætervolantis gloriolæ muscam capiatis.

Cujus te laboris major plausus, expectat? profani merces ventus, sacri cœlum est.

SI quid pravum deprehenderis, coërce per DEVM, ac castiga citò & fortiter; nam potestatem, quam ad id plenam habemus, ut gladium in vagina otiosum relinquere, urgente occasione vindicandi gravissimas Dei offensas, præsertim cum multorum scandalo conjunctas imputaretur nobis in scelus ingens, & multis vix suppliciis expiabile. S. Xav. Ep. nov. li 3. ep, 12.

Hic festinare licet, ne serò medicina paretur, dum mala per longas invaluêre moras.

Plus boni publico facis malum castigando, quam si pestem Patriæ finibus arcuisses, dum unum plectis, omnium benefactor efficeris.

O magne Sancte, &c. f. 2.

UNus in me DEI timor cunctos creaturarum extingvit metus; quippe quas nocere nemini scio posse, nisi cui, & quatenus conditor ipsarum incommodare permiserit. S. *Xav. Epist. nov. l.* 4. *ep.* 7.

*M*ens nostra tantò efficaciùs timores rerum temporalium despicit, quantò se authori earundem veraciùs per formidinem justam subdit.

Time Deum, qui super omnes homines est, & hominē non timebis. *A*nchora cordis est pondus Timoris Dei, sinè quo periculum subit. Timor creat sollicitudinem, sollicitudo cautelam, cautela salutem.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

VIta Divina expers dulcedinis continua mors est magìs, quàm vita. S. Fr. Xav. l. 3. ep. 5.

Hominem tibi pinge beatissimum: Nobilem, formosum, divitem, honoratum, sanum, &c. hunc tu beatam agere vitam suspicaris? mors hæc est morte gravior, mortis æternæ præambula, nisi vivat Deo.

Cave epuloni vitam invideas: sepultus ante tempus est deliciis. Divinis emortuus inspirationes non audit, pericula non videt, non sentit animæ vulnera; & quomodo eum vivere suspicaris? vita scelestorum vita non est dicenda.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge &c. f. 2.

O Christiani quid nobis infelicibus fiet, si tot Angeli propter unum superbiæ peccatum cœlo præcipites exturbati sunt, & in imum detrusi Tartari; *Adam* verò & Eva ob simile superbiæ crimen Paradisi terrestris beatam possessionem amiserunt? S. *Xav. Ep. nov. l.* 4. *ep.* 1.

Quæ spes ostendit, aut ratio nobis scelerum omnis generis colluvie depravatis emergendi unquam è fœce tam tenaci, & elutis maculis enitendi ad cœlorum summa, ubi sedes sempiternæ immortalium animarum felicitatis est à *Deo* constituta? *Ibidem.*

Ubi obscuratur aurum, scoria comparere erubescat.

O magne Sancte! &c. f. 2.

O Vos miseros! qui prodiis ea colitis, quæ Deus ad usus effecit humanos. S. Xav. l. 3. ep. 4.

Cur ad tam vilia sponte deficimus, quos ad summa Conditor vocat? Aurum adoramus, quod nostris ille addixit obsequiis. Rusticum hoc sanè votum est, & Nobilitatem suam pertæsæ mentis delirium.

Desideria ut cœlum spectent, Deus hortatur, & nos ea damnamus ad temporalia. Cur ita nos odimus? cur jumentis insipientibus comparati eorum desideriis nostra jungamus? Siccine esca & potus regnum Dei, & venter Deus est?

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

Quisquis DEVM amat, cum eo quàm diutissimè agat, & de eo, quàm creberrimè loquatur est necesse est. S. Xav. ap. Trinkell. die 17.

Parùm à desperato differt, qui obstinavit vivere absq; alimento. Hoc oratio est animæ, quod cibus corpori, imò est anima animæ. Non speret se diu victurum in gratia, qui se non sustentat oratione.

Nullum certiùs amoris argumentum, quàm frequens & longa conversatio cum DEO; alloquii tædium hostilis est animi indiciũ Oratio Amoris Divini & Mater est, & nutrix.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. fo. 2.

QUod loci & domesticorum beneficium est, multi virtuti tribuunt suæ. *S. Xav. l.* 3 *ep.* 5.

Uberiores ex arbore fructus venisse non tam œconomiæ, quàm temporum felicitas fuit. Malè nostræ adscribitur industriæ, quòd tam parùm operâ nostrâ accidit, quàm quòd nos in solo præsentes sol irradiet: si rem benè inspicimus, sterilis nos admodum solabitur laudum seges.

Insania est tanquam sua jactare, quæ loci aut temporis opportunitas tulit. Quod sinè dissidiis in pace vivimus, sæpè non charitatis nostræ, sed humilitatis alienæ est fructus.

O magne Sancte! *Indorum Apostole* &c. fo. 2.

Quæ isthæc (malum) dementia nostra est? ita nos securos ab omni Tartari metu vivere, cùm criminum indies atrociorum congerendis in conscientias nostras struibus, flammis illis sempiternis materiam seduli paremus. *S. Xav. epist. nov. l. 4. ep. 1.*

Nemo in casum facilior eo, qui se minimè labi posse putat. Angelus non satis tutus à ruina; vel è cœlo via patuit ad infernum, ut nemo se tam remotum à periculis credat, quin perire possit.

Si medicamentum scires, quo defuncti reviviscerent, quantis illud impensis quæreres? medela animæ hoc virtutis habet, mortuam resuscitat.

O magne Sancte! &c. f. 2.

TOtum bonum, aut malum nostrum in bene, aut malè, utendo DEI gratiâ, situm est. S. Franc. Xave. li. 5. ep. 3.

Malè DEVM querimur illiberalem, si nostra nos ignavia egenos facit, quòd hic par Angelis intemeratè vivat, is genio usque ad sordes indulgeat, diversus gratiæ usus facit. Sic gladius morti depellendæ, & inferendæ, prout usus accessit, servit.

Voluit DEus peccare nos posse, ut meritum ob non peccâre habeamus. Nemo culpabitur, quia potuit, sed quia voluit; velle impeccabilem fieri arrogantia est.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

IN diversas adeoque contrarias regionum aut negotiorum partes pari vigens alacritate stare prociocta debet animi præparatio: ancipiti obsequio prompta evolare protinus, quò mittentis indicata propensio flexerit. *S. Xav. ep. nov. l. 3. ep. 12.*

Ortus, Occasus, Auster, Boreas, perinde sunt omnia; uno in his cunctis observabili ad electionem discrimine: ubi plus, minúsve opportunitatis affulgeat, Divini honoris luculentiùs, utiliusq; promovendi. *Ibid.*

Eò mercator proram dirigit, unde major spes lucri affulget: patria illa sit, an incognita, culta vel inculta, nil pensi habet.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Cum singulari quodam beneficio vult Deus hominem sui amantem perficere, eum ad id infestationibus ac vexationibus exercendo præparare solet. *S. Xaver. ap. Trink. die* 18.

Admodum opulentus fit, cui Deus aufert divitias, gratiam communicat. Nempe modicum tollit, plurimum donat. Qui saniori consilio quidquid temporalium est parvi, ut decet, duxerit, non queretur auferri parem illius, & cum illa cumulum curarum.

Sine, ut arbitrio suo supremum Numen de re disponat omnia; mirabetis aliquando ubi summè proficere, quod credideras obfuturum.

O magne Sancte! &c. f. 2.

CUm ea conditione quivis homo nascatur, ut aliquando vivere desinat, cujus legis cùm ne Christo quidē Dei Filio gratia facta sit, manifestum est, quàm temeraria & irrita spes foret cujusvis alterius, id sibi privilegium spondere. *S. Xaver. Epist. nov. li. 4. ep. 1.*

Nulla diligentia vel potestas vitat, ut qui vivit, non moriatur.

Pejores morimur, quàm nascimur. Nostro, non naturæ vitio: illa conqueri potest & dicere: quid hoc? sinè perfidia, sinè superstitione vos genui: quales intrâstis, tales exite. Sunt, qui tùm primùm benè vivere incipiunt, cùm desinendum est.

RAtione atque prudentiâ paulatim acceptis vulneribus medearis. *S. Xav. l.* 4. *ep.* 12.

Cadendum non est animo; providit *Deus* morbis medelā, nec tam grande malum est, cui parari nequeat remedium. Fœminei gemitus nihil proficiunt, nec plorando diluitur malum.

Quod emendare non vales, feras, & quæ damno tuo evenisse credideras, bona fient. Longam ingressus es viam, & labaris oportet & erigaris. per hujusmodi offensas emetiendum est hoc iter; effugere ista non potes, potes contemnere: contemnes, si futura cogitaveris.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo 2.

INducat quisq; in animum, nusquam se meliùs, quàm ubi à præposito constiturus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite, Deum ubi tempus fuerit, hanc iis, qui præsunt, mentem daturum, ut eò vos potissimùm mittant, ubi vester labor fructuosissimus sit futurus. S. *Xaver. lib.* 3. *ep.* 5.

Vacuum te curarum vult esse cœlum pro te sollicitum; quid eas tibi agglomeras? Vides navim sinè conatu remigum propitii venti obsequio feliciter dominantem mari? sequere: liberalem tui dispositionem spiritui Divino sine, ut quaqua lubet, impellat, sic Fortunatas, nil dubita, Insulas subibis.

O magne Sancte, &c. f. 2.

ITerum inculco vobis etiam atq; etiam commendans, ubicunque cum quibuscunque versabimini, contendite gratos vos & amabiles omni hominum generi præbere, de cunctis bene merendo, inserviendo singulis, nullum non blandè, modesteque compellando. *S. Xa. Ep. nov. l. 4. ep. 3.*

Hæc enim benignitas factorum, verborũ humanitate condita conciliando vobis omnium amorem, aditum cordium aperiet, magnamque præbebit facultatem luculentos animarum congerendi fructus. *Ibidem.*

Hac monetâ emuntur corda, merx in orbe pretiosissima, quod nisi occupaveris, frustra in eo meliorem ad frugem reducendo laborabis.

ANte omnia tui memento, DEO primùm, tuæ deinde conscientiæ satisfaciens. His enim rectè tangenti officiis duobus prona facultas affluet ingentium è proximorum animis eliciendorum profectuum. S. Xav. ep. nov. l. 4. ep. 4.

Bene, quos respicias poli sunt, ut Deo & conscientiæ facias satis. Hominum de te sensus, rerumque eventus inter ultima, & quæ ad te non spectant, numerabis.

Parce curis, nec profuturo te crucia metu: tecum tibi & cum Deo bene conveniat: cæterum nullum orbis bellum expavesce. Quid vis fugere, quos nemo potuit criticos?

O magne Sancte! &c. fol. 2.

Quis enumeret artes & nomina prœdarum! *S. Franc. Xaver. lib. 7. ep. 7.*

Grande malum, quia tenacissimum! in quo non magna spes melioris, quot titulos aliena rapiendi excogitat? alienis divites spoliis superbiunt in purpura, quam egentioris peculio detraxerunt. Prætextus quærunt, quibus rapinas colorent. Labori parce; aliena accipere est vel furari vel rapere.

Quanta in homine aviditas avaritiæ? cùm & belluæ habeant modum; tunc enim rapiunt, dum esuriunt: parcunt prædæ, cùm sentiunt satietatem. Solus bellua insatiabilis, dives est, cujus unica vox: affer, affer.

IN ministeria humilia fac te semper quoddam studio exaggeratum quasi pondus inclinet. His enim te exercens parabis, augebisque demissionem animi. S. Xav. ep. nov. l. 4. ep. 4.

Fallax est ad æstimationem opinio modestiæ. *Ibidem.*

Nullibi securiùs occupamur, ac in humili; vertigini se exponit, qui versatur in sublimibus: nesciremus ruinas, nisi alta spirantes vidissemus. Cogi decet ad sublimia, sponte currere ad humilia; hæc pacem, illa casum ominantur.

Excelsa est, quo tendimus, Patria, sed humilis est via. *Altus* est DEus, si humilias te, descendit ad te.

O magne Sancte! &c. f. 2.

TUtiùs est regi, quàm regere; parere, quàm imperare. S. Xaveri. ap. Trinkell. Renov. 1. die 3.

Multis regimen implexum est curis, his se expedit, qui subest. Tenue superioris nomen quanta eum debet sollicitudine! sola fidem facit experientia, quòd non tutiùs modò, sed & lætiùs sit subesse.

Faciliùs est uni, quàm multis attendere. De uno subditus, de omnibus, qui præest, rationem est præstiturus; tot hic onera, quot numerat subditos. Uni faciliùs est satisfacere superiori, quàm ut superior satis omnibus faciat. Quis pileus capitibus omnibus aptus?

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

INsitum naturæ vitium dicimus, quod sæpe est incuriæ ac negligentiæ. *S. Franci. Xaver. lib.* 4. *ep.* 10.

DEI ac nostri oblivionem naturæ conditione, tanquam velo quodam recondimus. *Ibid.*

Nemo dicat: natura me cogit irasci, levem esse, dormire: inclinatio naturæ est, opus est negligentiæ tuæ. Si virtus tibi esset domi, huic natura non prævaleret.

Quid naturæ irasceris? quæcunque nactus sis, bona est, modò eâ bene uti scias. Malè passio vocatur in censuram; est hæc bona, modò quantùm inclinat ad malum, à spiritu revocetur in melius.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

QUid tandem nobiscum futurum, si Deus acerrimo hosti permisisset, ut nos ad suam libidinem acciperet? S. Xaver. l. 3. ep. 5.

Disce homo DEI favorès, quos meritus non es, ponderare; sinè his nihil te miserabilius, scelestius nihil, prona in malum natura, vehemens passionum inclinatio, obviæ sensuum illecebræ, prava vis exempli, Dæmonis instinctus, quo nos non, invitat? & quid hìc agat fragilitas, sibi relicta?

Si DEVS manum subtrahat, heu nos miseros! quàm miseranda dæmonis mancipia & inferni holocausta sumus! Plùs dæmon interitum sitit nostrum, quàm nos salutem propriam.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Adeos quibuscum Religiosam aut civilem, domesticam aut forensem usûs ac sermonis consuetudinem variæ iræ commercio usurpaveris, sive in mediocrem, sive summam tecum familiaritatem affectaverint, sic te semper adhibe, quasi existimares, aliquando eos ex tibi amicis, inimicos evasuros. *S. Xav. Ep. nov. l. 4. ep. 4.*

Non committes, ut conscios illos habeas ullius facti, dictíve, quod si unquam iræ indulgentes protulerint, vel erubescere traductione tui, vel commodo, & damno negotiorum te dolere sit necesse. *Ibidem.*

Ita te in publico, ita in angulo, ita cum multis, ita cum uno gere, ut quidquid agis, aut dicis, videre, scireque possint omnes.

Nullo modo patiar tanto in malorum vulnere conniveris; scilicet ut resipiscentes aliquando quærant vulneri medicinam. S. Xaverius lib. 4. epist. 13.

Alienum succollare peccatum noli, qui propriis satis oneraris; si dissimulas arcere quod potes crimen, tuum facis. Hæc in indulgentia sæva est: & quib9 se prodesse putat, & aliis nocet.

Tacere, dissimulare non semper arcet malum; si provida severitas primos aditus occupasset, eò non adolevissent, ut inter perditos censeri debeant. Morbi, qui negliguntur, occidunt non tam ægri, quàm medici vitio.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

HOc sanè supra omnes corporis dolores acerbissimum, ut sic dicam, genus Martyrii, horrendum, cruciatibus quibusvis tyrannicis atrocius, cogi patienter aquiescere, cùm videas momento destrui alienâ culpâ, quæ ex aliorum longissimi temporis vehementissimo conatu, ærumnosissimâque constantiâ prope ad fastigium perducta fuerant. *S. Xaver. lib. 5. epist. 12.*

Spes amissa grande cordi supplicium, tantóque acerbius, quantò illa major non incertis signis se prodebat.

Teneram primâ in herba segetem marcuisse levior foret dolor: at falci maturam minimè prævisâ sterni grandine, quis sinè vulnere ferat?

Reputatio hominum instabilitatis efficiet, ut ubiq; præsenti Numini, demissione infimâ, suavitate magnâ semper adhæreas: qualium intermissione officiorum multa nobis obrepunt, spectantium oculos lædentia, & illorum â nobis sensim abalienantia voluntates. *S. Xaver. Epist. nova. l. 4. ep. 4.*

Si cœco diceres, Regem adstare, nonne gestus in omnem cogeret reverentiam? quid refert non videri à te Numen, cùm adesse notum sit? Fides, non oculus venerationem imperat.

Plusquam solis radius chrystallo, tibi *Deus* adest; quæ officia illi debita credis? si cœlo lapsus tibi Deus appareret, quî ageres, loquerêris?

Ubicunque de Divino honore agitur, nulli cedendum est difficultati. S. *Xav. ap. Trinkell. die* 8.

Nullibi meliùs labor locatur, quàm in ejus obsequio, cui laborare delitiæ sunt. Mori amantem pro amato novum non est, & amato pro amante mori difficile accidat? qui se meminit esse creaturam, intelliget, quantâ Deo serviendi obligatione teneatur.

Nec ulla quæstuosior est industria, quàm pro Deo sudare. Censum labor hic æternum habet: quia hoc ipsum inter lucra ponendum est maximè, si se labore nostro dignatur tanta Majestas.

O magne Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

IN Divina bonitate atque misericordia spem habere consuescant, qui, quamvis parvis in rebus, à quibus abhorrent, sui victores extiterint. S. *Xaver. lib. 3 ep. 5.*

Macerare corpus flagris exhaurire vigiliis, jejunio extenuare, utut difficilia sint, est aliquid istis ùt difficilius ita gloriosius, se abnegare, sibi mori.

Mors ista spiritûs morte corporis nihilo mitior est; sopit appetitum, ligat sensus, intellectu & voluntate privat, membrorumque adimit libertatem. Nemo benè, beateque vivet, nisi hanc generosus mortem subierit. Hoc è funere vita melior surgit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

ANte omnia primam & potiorem curam tuæ mundandæ, atq; innoxiæ præ-andæ conscientiæ impende: a-enarum præservendarum aut nandarum posterior tibi esto iligentia. *S. Xav. Ep. nov.* . 4. *ep.* 4.

Nam qui sibi malè consulit, uomodo prodesse poterit ali-? *Ibidem.*

Nihil miserius eo, quem re-m agit conscientia; implaca-ilis iste judex quantò notior, antò magis immitis sævit; nul-us apud eum excusationi locus, ui judex est, idemque testis. Aliis suum post torturas est re-pirium, ab hoc nullum sinè tor-nento vel momentum.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. folio 2.

Æquum est, ut alienam è purgatorio animam liberaturus, priùs ab inferno liberet suam. S. *Xaver.* *l.* 1. *ep.* 2.

Magnæ in animas charitatis præbet argumentum, qui piaculares mitigare flammas laborat, sed illa debet esse potior, quæ cujusque animam inferni pœnis obnoxiam locet in securo.

Animæ illæ suis in ignibus præ te feliciores agunt, illæ periculi expertes, cœli hæredes, æternæ beatitudinis jam certæ, tamen differuntur à possessione: vos horum incertos media involvunt pericula. Damnum illas tenet breve, vos expectat æternum.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

PRoh Deum immortalem! quantò lætiorem illi, tutioremque vitam viverent, quantò majore Divinæ clementiæ fiduciâ supremum judicii discrimen, quod subterfugere nemo potest, extremo spiritu subirent, si illam Evangelici servi vocem alacriter usurparent: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* S. *Xav.* l. 1. ep. 5.

Magnum nobis onus imposuit Deus, dum talentis liberaliùs donavit; ad mensuram dati fructum præstolatur. Liberalissimus *Deus* nihil donat absque fœnore; plus lucri afferens plus recipiet.

O magne Sancte! *Indorum* Apostole, &c. f. 2.

NIsi literis, literatisque Domini spiritus inhabitans præsit, literæ haud paulò plus detrimenti afferent, quàm commodi. *S. Xav. lib. 3. ep 4.*

A nullis majus sumpsit Respublica detrimentum, quàm ab iis, quos sublimiori Deus ingenio & literaturâ instruxit; illud menti cum gladio commune, quòd acutior gravioribus aptetur vulneribus.

Doctrina multis præluxit ad infernum, quos simplex ignorantia cœlo intulisset.

Quot non inferni profundū literatissimi occupant! Sapientia sinè spiritu stultitia est apud *Deum*, pernicies apud homines; tales enim inflantur, donec magnitudine ipsi suâ crepent.

Quid tandem nobis in extremo spiritu futurum putamus, nisi ad bene sperandum, atque ad Dei fiduciam nos exercuerimus in vita? S. Xav. l. 3. ep. 5.

Malè optimam tritici messem expectat, qui præter lolia seminavit nihil. Inanis & vacua est spes, quæ fundamento caret.

Multis nocet, quæ prodesse vult omnibus Dei Misericordia, ejus facilitas Mater optima, pessimam filiam gignit præsumptionem. Grande hoc malum veniam non expectet: non apud Misericordiam; hanc offendit: non apud Iustitiam; hæc enim punit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

SEmper superciliûm frontis serenitate, arrisu oris, obtutuum blanditiâ mitiges: multò autem magìs humanitate verborum, & declaratione amoris, qui te unus ad molestum, sed necessarium eximendæ ab amico deformantis illum labis conatum impellat. *S. Xa. Ep. nov. l. 4. ep. 4.*

Inserendi quin etiam colloquio amplexus, demissæ venerationes, cæteræque benevolentiæ sinceræ, reverentiæ non fucatæ signa idonea. *Ibidem.*

Fucatæ cave tuæ sint blanditiæ; hæ deprehensæ semel fidem semper enervant. Qui fictè agit, parem observanti larvam suadet. Candor candorem meretur & provocat.

O magne Sancte, &c. f. 2.

VEhementer errant, qui deserto fonte bonorum omnium Deo commoda atque utilitates ab hominibus petunt. *S. Xav. l. 4. ep.* 12.

Quid est homo, in qu m speras? genesim inspice: paulò antè nihil, nunc vivum cadaver, & saccus stercorum, brevì cinis. Et quid ab hoc specialis patrocinii expectabis? Iusto DEI judicio accidit, ut qui à DEO spem transfert ad hominem, cum homine collabatur.

Quî Iudici olim respondebis, cujus locò nunc hominem adoras, Iudæis compar *Deum* homini postponentibus? Si curas hominem, cura Hominem-*Deum*.

O magne Sancte! Indorum *Apostole*, &c. *fo.* 2.

MUltis ita occalluit conscientia, ut rapinarum in sinum corrasarum vastis etiam molibus, aut nullo; aut perexiguo urgeantur sensu. *S. Franc. Xaver. epist. nova. l.* 4. *ep.* 4.

Frequentia, ususque communis pudorem furtis detrahit, & suadet impunitatem. Callum induit conscientia, ut iniquè partorum nec molem sentiat, nec injuria affectorum gemitum audiat.

Opifices aurum latebris eruentes quantâ fuligine obscurantur! plus tamen possessoris animum, quàm artificis manum inquinat; ibi plus quàm hîc relinquit sordium.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

P*Rævertendis* odiis, invidiæque, & ſuſpicionibus ſeminatricibus diſcordiarum in ortu ipſo extingvendis efficaciſſima erit opera conſpectæ ſemper, minimè fucatæ, ſed ex intima demiſſione mentis in externam humilitatem propenſæ modeſtiæ. *S. Xaveri. Epiſt. nov. l. 4. ep.* 11.

Frons arrogans, elatumque ſupercilium publici fit odii ſcopus; placida humanitas humilitate condita amores cogit. Qui ſe ſponte poſt omnes abjicit, ultro ab omnibus ſublimabitur.

Præſtat gratiam cum modeſtia, quàm faſtu odia colligere; quæ ſuper alios eniti volens fugiet nunquam.

O magne Sancte! &c. fo. 2.

SI te infestum intemperiarum signis, qui te adeunt, deprehenderint, haud dubio contrahentur, & se avertent, nec eam sui fiduciā admittent, quæ necessaria fuerat, ut ex suo congressu proficerent. *S. Xa. Ep. nov. l. 4. ep. 4.*

Suavis alloqui humanitas catena est aurea; attrahit aures in benevolentiam, corda obligat in obsequium; facilè mandata exequetur, quem manuducit amor.

Superior es? homo manes; humanitatem à te non fac alienam. Eum honoratum volunt singuli, quem singulos honorantem sunt experti. Sic voci par echo respondet.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

QUi nihil aliud spectat, nisi Divinam gratiam, Evangelii prædicationem, animarum salutem, quid recuset tandem, aut pertimescat? S. *Xav.* l. 3. ep. 4.

Qui DEI totus vivit obsequio, tantùm de rebus suis sollicitus vivit, quantùm de re, quæ non ad se, verùm ad alium pertineat. DEVS rem suam curabit.

Dic tu mihi, si potest homine hoc esse beatior? vitam agit, qualem *Angeli* solent, supra mundi vicissitudines positus cœlo caput inserit. Quidquid optat, accidit; quia quidquid accidit, vult DEO conformis. Omnipotens, potest, imò facit omnia, quæ vult.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Continuâ in id attentione dabis operam, ut omnibus semper, quibuscum ages, vultum benignum, & serenum exhibeas; torvitatis, superciliosæ, aut iræ minacis cunctis indiciis procul amandatis. *S. Xaver. Epist. nova. lib. 4. epist. 4.*

Vt nihil debet habere superior, quod veniam requirat, ita ipse suis plurima noverit condonare.

Nihil emendaturo peccantes indignum magis, quàm irasci. *Mansuetudine* scire delicta corrigere, hoc est regere: severitate delere scelera, vel lictor novit. *Assurge* supra plagiarium.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

QVi nihil omnino aliud nisi DEI Gloriam, & Christi manifestationem in salutem animarum curamꝰ, aut quærimus, quid tandem damni aut periculi magnopere pertimescere debemus? S. *Xav. Ep. nov. lib.* 5. *ep.* 3.

Præverte animo malũ, quod eventurum times; si prævideris, fortè non timebis; quid enim est, unde angeris? Expende peritissimè, & comperies causam afflictionis minorem esse.

Quidquid æternum non est, tanquam leve ferendum est; quantumcunque enim sit, magnum non est, quod tolerantiâ minui potest, quin & absolvi.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

CErtum extra ullam dubitationem habeatis, DEVM plurimas gratias, & insignia beneficia largè conferre solitum iis, qui graves impugnationes sinè ultionis desiderio patienter ejus causâ perferunt, omnem impetum reponendæ injuriæ Divinæ charitatis suavitate opprimentes. *S. Xaveri. Epist. nova. lib. 6. epist. 8.*

Obligari se misericordissimꝰ Dominus sentit ad abundè cōpensandum, quod injustè aufertur. *Ibidem.*

Nihil Deo datur sinè fœnore; quam tu ejus causá honoris turcausam ponis, ille sumet, ornabitque plurimùm, quem calumnia pessimè deformavit.

O magne Sancte, &c. f. 2.

CIbi, potionisque modus, naturali desiderio statuatur, non voluptate. S. *Franc. Xaver. apud. Trink. die 13.*

Paucioribus natura eget, quàm putemus. Non alimus eam, sed oneramus, dumq; vitam tueri debebamus, perdimus; cogimus gulæ nostræ servire maria, & sylvas, nihilque sapit, nisi quod exoticum aliquid, aut peregrinum orbem sapit.

Hæccine est vita hominis? si ita: dic, quæ sit belluarum? horum enim felicitas in pastu. O quantum est in rebus inane! Necessitas mensuram statuat, non cupiditas: minùs vanitas.

O magne Sancte! Indorum *A*postole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

STudiosius affectare comitatis amabilis speciem arrisu & affabilitate blandissimis debebis, quando aliquem privatim, culpâ ejus id exigente, reprehendes. *S. Xav. Ep. nov. l. 4. ep. 4.*

Emineant ex ore atque oculis humanitas, & charitas; quâ re unâ præteferas urgeri ad bene merendum de illo, quem admones de labe ipsum inquinante detergenda. *Ibid.*

Videris plerumque metu odium conjungi; quos metuimus, nos ipsi odimus; tantùm amoris perdis, quantùm sævis. Timens non potest amare, quem timet. Vt metum, ita causam odit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

ILlud præclarum eſt ulciſcendorum hominum genus, ut eis & cœleſte Numen placare, & benignè facere ſtudeamus. *S. Franc. Xaver. lib.* 4. *Ep.* 12.

Nunquam ſcelus ſcelere vindicandum. Imbecilla ſe putant lædi, cùm tanguntur; ulcera vel ad ſuſpicionem tactûs condoleſcunt, ita animus affect9 minimis offenditur.

Hoc adversùs virtutem poſſunt injuriæ, quod adverſus ſolem nebulæ. Quid turbaris? Si exigua eſt offenſa, fer: levi hoc potes patientiâ; ſi gravis eſt, fer: non levis eſt gloria; non leviter hanc auges, ſi malum rependas bono.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. fo 2.

IN vestræ imbecillitatis cognitione diu, multumque vos ut exerceatis censeo, vestraque vitia hominibus, qu vos consilio & auxilio juvare queant, penitus aperiatis. *S. Xav. l.* 3. *ep.* 5.

Aquæ profundæ abscondun pericula: nemo se tutus vad commiserit, cujus fundus occul tus est. Multa latere post sipa rium solent; pateant necesse est ut approbentur.

Alios Deus regi vult ab ali is; in sua causa nulli contulit ju dicium. Quod tu non potes consilium efficiet.

Tua subjectio *Dei* meretu directionem. Obedientiæ co mes felicitas est.

O magne Sancte! Indorun Apostole, &c. fo. 2.

IN his bellis etiam cadens, victor est, si occumbente duntaxat corpore non succumbat animus. Vna sanè, quæ per consensum in culpam accipitur, pertimescenda plaga mentis est. S. Xav. Ep. nova. l. 5. ep. 3.

Vulnera corporis gloriæ stigmata sunt, sunt zeli testimonia, plus ex iis gloriæ manat, quam cruoris. Si cades corpore, consiste animo, & pedibus compede ligatis triumphet Libertas Christiana.

Illa vincula detestanda sunt, illa metuenda vulnera, quæ ultra corpus ad animam spectant, attingunt conscientiam, quantò profundiùs tantò atrociùs lædunt.

O magne Sancte! &c. f. 2.

Arrogantibus indulgentia venenum est; mirabiliter insolescunt, & omnia perturbant, si rectorem langvidum & obstacula metuentem invenerint. S. Xav. *Epist. nova.* l. 6. ep. 10.

Sunt genii, qui bonitate abutuntur. *D*iffluunt vasa, nisi ferreis in ordinem circulis cogantur. *I*n hos si quis inciderit, cunctanti opus habet animo, fortique pectore.

Qui vult amari, langvidâ regnat manu; odio digni Primates, qui sic amari quærunt. Ubi Dei causa agitur, preces, promissa non moveant, causæ æquitas decidat sententiam, animus urgeat executionem.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

VIlibus *Deus* inſtrumentis ad magna utitur, tum ut ex hoc magìs infinita illius bonitas eluceat, tum ut nos nihil ex nobis facere poſſe cognoſcentes ſolidiùs humiliemur. *S. Xaver. apud Mart. in Nov. die* 8.

Manca eſt humana ſufficientia, & providentia omnis nimiùm inops & lippa; nec hæc deſpicit agenda, nec illa par eſt agendis.

Quid prudentiæ, viribusq́ue tuis fidis ridendus homuncio, cùm in omni tua poteſtate, quā habes, tantùm non ſit, ut atomum diffies. Sine Deum agere; plura per te operabitur, quàm ſperare potuiſſes.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, &c. ſo. 2.

QUotiescunque te accinges ad tractandum cum quolibet de rebus Dei cultum, & salutem æternam attinentibus, adhibe hanc prudentiam, ut non prius verbum facias, quàm odoratus sis, ac quibus poteris signis exploraveris statum intimum ejus animi. *S. Xaver. Epist. novar. l. 4. ep. 4.*

*A*ves non unâ omnes capiuntur escâ. Genium sequi artis est magnæ, hanc, qui novit, humanam facilè capit voluntatem.

Non una cum omnibus agendi est norma. Quæ hunc solantur, dejicerent alterum; quo placatur iste, ille turbaretur. Quod uni gustum, alteri disgustum creat.

Quamvis de alicujus forte, quem nôris, & ames, virtute confidis, tamen, mihi crede, obsta, & quantùm potes, pugna, ne ad pecuniæ tractationem abjiciatur, alioquin, nisi confirmatus in gratia sit, cave speres constantem in innocentia futurum. S. Xaver. lib. 5. epist. 7.

Procul à pecunia, procul à periculo; illa conscientiam non minùs ac manum tractata commaculat.

Grandis tentatio ditiorem fieri posse, & Dei timore prohibitum abstinere. Quanta est auri arridentis, & , modò annuas, in ærarium tuum propegantis, potentia! cujus animus hastis aureis, argenteisque non cedat?

PAuci sed strenui, sed dotibus animi & corporis præditi maximis instar innumerabilium sunt. S. *Xav. Ep. nov. l.* 6. *ep.* 10.

Multæ unius matris proles non feliciorem illam faciunt, si recta ab institutione degeneres abeunt; quod in multitudine fieri tam est proclive, quàm vasto in agro zizania reperire.

Magnus populus, magna vitia. Multitudinem simul & sinè exceptione virtutem optabis citiùs, quàm reperies. Vide, sis è paucis, iisque strenuis. *Animus* non numerus militem facit formidabilem. Una aquila præ mille noctuis videbit.

O magne Sancte! Indotum *Apostole*, maxime orbis Thaumaturge. &c. fo. 2.

ADversus minas omnes, apparatusque diaboli, duo quædam me sustentant: prius certa persuasio perspectissimæ *Deo* rectitudinis mearum cogitationum, alterum indubitatissima notitia absolutissimi Dominii Divinæ voluntatis in res creatas universas, ita ut earum nulla quidquam agere, nisi *Deo* permittente queat. *S. Xav. l.* 5. *ep.* 3.

Nullum roborandæ menti firmius est præsidium, quàm quod tua tibi præstat conscientia. Intra te est, si quod est malum.

Recta intentio firmamentum & malacia est sinè formidine, quæ plus castris omnibus te tutabitur.

O magne Sancte. &c. f. 2.

QUò magìs suis voluntatibus obsequi studemus hòc magìs anxiis, & sollicitis animis vitam agemus. *S. Fran. Xav. l,* 3. *ep.* 5.

Qui se quærunt, se perdent, & desolationē invenient. Quid speras, quod nemo hac via obtinuit? Nisi tuam alienæ subjicere voluntati didicisti, semper spinas inter infelix gemes.

Bella bellis omnibus inquieta magìs tua concitabit voluntas, quamdiu regnabit. Nisi hunc edomes hostem, de pace nihil cogita. Dicet pax pax, & non erit pax; bella movebit ex insidiis minùs cogitatis.

O magne Sancte, Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge, Pater, & patrone mi singularis. &c. f. 2.

AD authoritatem, libertatemque curatoris animarum insignis est momenti, nemini eorum, quos dirigere in salutis via, & ubi aberraverint corripere, retrahereque debet, esse obnoxium titulo præbitionis & alimentorum. Hoc est vitam & sangvinem debere. Vereque de hoc genere donorum dici solet: qui capit, capitur: Fiduciam videlicet amittit, quidquam jure censorio agendi cum eo, cujus patronali reverentiæ clientis humilitate se astringi passus est. *S. Xav. Ep. nov. l.* 4. *ep.* 4.

Facilè tacet is veritatem, cujus os acceptus à reo bolus obturavit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

MInùs in acerbo casu consternat horror periculi præsentis, quàm verber conscientiæ acriter exprobrantis vitam inconsultè actam sinè ulla provisione mortis. *S. Xav. l. 2. ep. 5.*

O temporis pretium, si quis te ritè æstimet, quantum es! Cœlum tempore emitur, tempore negligitur.

In eo cautiorem esse convenit, quod reparari minùs potest. Tempus incurabile est; serus erit dolor temporis, quo tam piè vivere potuisses, imò debuisses, amissi. Damna quæ sarciri nequeunt, sunt gravissima; volat irrevocabile tempus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maximè orbis Thaumaturge, &c. fol. 2.

NOn emineat ira in verbis ad curationem prolapsorum ex perturbatione comparatis, alioquin exemplum mali potius, quàm remedium objeceris. Nam omnem iracundiam vitio passim vulgares homines adscribunt. S. *Xav. Ep. nov. l.* 6. *ep.* 8.

Ira sinè discursu bestiarum est. Illa solùm ira utilis esse potest, quæ scit parere consilio, & velut miles Ducis ad imperium vel prodire in aciem, vel ubi prodiit, signum receptui canere.

Magna pars hominum est, quæ non peccatis irascitur, sed peccantibus. *Alios* corrigunt, corrigenda committentes.

O magne Sancte! Indotum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

Multùm intereſt inter eos, qui ſpem, fiduciamque in DEO collocant extra mortis pericula, & eos, qui Deo fidunt, & in illo ſperant, dum ſponte ac volentes, quò ei gratificentur, in diſcrimina ſe mortis evidentia objiciunt, horum vitandorum, aut adeundorum poteſtatem & plenum arbitrium habentes. S. *Xaver. Ep. nov. l.* 5. *ep.* 3.

Spem, ut amorem adverſa probant; in mollibus neutrius caſui poteſt experimentum. Difficultas tuæ in Deum ſpei cos eſto.

Illa quæ te opprimit adverſitas, Dei manu immiſſa eſt: ſunt Crucis Chriſti reliquiæ.

O magne Sancte ! Indorum Apoſtole &c. fo. 2.

QUi elegerit in continuis vitæ periculis vivere ex mero studio *Deo* serviendi, brevi tempore sentiet tædium vitæ præsentis, & desiderium mortis. S. *Xaver. Ep. nov. l.* 5. *ep.* 3.

Bella, fames, odia, morbi quid nisi argumenta sunt, ut persuadeamur, vitam hanc carcerem esse, compendiumq; miseriarum? Unde tantus vitæ amor? amamus pericula nostra & compedes nostros exosculamur.

Vitæ, quam speramus æternam, futuræ memor facilè præsentem deserere; quis enim non ægrè ferat differri solatia?

O magne Sancte! *Indorum* Apostole, maxime orbis *Thaumaturge*, Pater, ac patrone mi singularis. &c. f. 2.

Cum extremo jam spiritu mors vocem intercludit, si tum animæ ex corpore discedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digressu corpus alloqueretur suum? S. *Xaveri. lib.* 3. *epist.* 3.

Præpostera doleret studia, si, cui dominari debuisset, corpori indulsisset. Corpus etenim, ut prodesse saluti potest, sic & obesse, prout spiritui vel subjectum est, vel rebelle.

Utere nunc corpore ut jumẽto. Nullus sit ejus querelarum locus; non de injuria queritur, quam non patitur, sed de molestia, quam fugit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

Mihi nihil gratius accidere potest in vita, quàm in maximis meis periculis Christi Domini mei, & Christianæ Religionis causâ susceptis vitam transigere. *S. Xaver. l. 3. ep. 5.*

Nemo duraret, si rerum adversarum assiduitas vim parem haberet, quàm primus ictus. Ea optima doloris natura est, quod non potest, nec qui extenditur, magnus esse, nec qui magnus est, extendi.

Ut certi ferarum domitores sævissimas etiam belluas sub jugum mittunt, ita sapiens dolorem amore Numinis domare novit. Amore saucius nulla alia sentit vulnera.

O magne Sanctè! Indorum Apostole &c. f. 2.

QUalicunque in occupatione vel remissione verseris, acri semper conatu attectæ mentis vires totas in tui ubique vincendi contentionem exerce: cupiditates frange: à quo sensus abhorrebit, amplectere. *S. Francis. Xaveri. l. 5. ep. 5.*

Appetitum imprimis innatum laudis & excellentiæ contunde; nihil unquam parcens, quoad superbiâ radicitus evulsâ infra omnia deprimi te libens sustineas, contemni etiam gaudens. *Ibidem.*

Atque sic habe: sinè ista demissione, sinè hoc in pravos animi motus imperio nec tibi, nec aliis te bonum esse. *Ibid.*

O mage Sancte! Indorum Apostole &c. f. 2.

NOlite mirari, imitatique eos, qui novas populo placendi excogitant artes popularem admirationem, & laudem aucupantes. Namisti suæ potiùs, quam *Divinæ* gloriæ serviunt, de suis commodis magìs solliciti, quàm de salute animarum. Quocirca illorum ratio sanè lubrica est, ac præceps; quippe quæ cœcâ cupiditate gloriæ elata, jactationem habet in populo invisam Deo. S. *Xaver. in vita lib.* 6. *cap.* 23.

Favoris humani aucupes non Dei, sed amoris proprii, sed inanis gloriolæ servi sunt, *Martyres* sunt Diaboli.

O magne Sancte! Indorum *Apostole*, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

MAturescunt cruda suo tempore: articuli opportunitatum expectentur. S. *Xaveri. Epist. nova. l. 5. ep. 7.*

Initia rudiora sunt; expecta: etiam dies à crepusculo crescit in meridiem. Acerba poma jacendo mitescunt, nec raro duriora ingenia mollivit dies. Sua Iuventuti sunt vitia, quæ vir ignorabit, & viro agnata senem destituent.

Nemo ex uno actu judicandus; quæ tardiùs maturescunt, plus durant præcocibus. Imago multis ictibus longo tempore marmori incussa firmior stabit, quàm molli ceræ levi manu impressa.

O magne Sancte ! Indorum Apostole, &c. f. 2.

MIhi adeò certum & fixum est, quod Divino instinctu concepi, ut si fortè id prætermitterem, videter mihi planè pugnare cum Deo, neque in vita, aut post mortem quidquam jure sperare jam posse. *S. Xaver. li.* 1. *ep.* 12.

Quid te ab incepto deterreat? operis arduitas? apparens est; & esto sit major, non est æterna; nec major viribus, modò audeas.

Inconstans diaboli fit ludibrium, irridentis hominem, qui cœpit ædificare, nec potuit consummare. Quæ Sempiterno promissa sunt, æterna sint. Vita citiùs quàm horum fides pellatur corde.

O magne Sancte! &c. f. 2.

NOlim, quod multi faciunt, te spem conciliandi tibi populi in humanis artificijs constituere, calidéque grassari ad gratiam, celebritatémque vulgi eblandiendam, iis obnoxiè faciendis, aut dicendis, quæ grata, jucundaque multitudini esse perspexeris. Indigna ista sedulitas est. *S. Xav. Ep. nov. l. 5. ep. 9.*

Humanis nisi stratagematis, fraudibusque viam ad cor tentare mali solent; non desunt sua probitati media. Virtus ipsa per se amabilis, si vera est, affectum rapit.

Turpe est, cùm larva detrahitur, patere dolos; simius aut vulpes apparet, qui se hominem mentitus fuerat.

O magne Sancte, &c. f. 2.

ANte omnia oro te, & in gratiæ numero precans postulo, ut te, quò magis urgeris adversis, eò interiùs Divino Numini admoveas. S. Xav. Ep. nov. l. 7. ep. 7.

Æquè sancta est actio, quâ tibi Deus immittit, unde crucieris, quam fuerit pro te Christum mori. Reverere spem Dei, digna patientiâ tuâ, & amore immittentis.

Opus & signum est gratiæ, si te afflictione quapiam dignatur DEus, quam licet forsan non merueris, meretur tamen DEVS, ut eam feras patienter. Adversa ùt gratiæ merces sunt, ita cùm gaudio accepta, majoris sunt illicium.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

Nec te respectus ullus aut metus judiciorum, sermonúmve teneat, quò minùs, quod debes, exequaris. *S. Xaver. Epist. nova. lib. 6. epist. 5.*

Laudes & contemptus vulgi in promiscuo habendi sunt, nec his dolendum, nec illis gaudendum; alias timore calumniarũ omittemus optima. Latratus canum lunam in cursu non præpediunt; i, quo eundum est, seu laudes, seu te vituperia consequantur.

Non virtus, sed qui virtutem impedit, vulnus sentit? uti duritia silicis nulli magìs, quàm ferienti est nota.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

EA semper circumspectione ac prudentiâ te adhibe in congressibus, & colloquiis omnis generis hominum, quibus ad bonum promovendis quotidianam navas operam, ut nullâ unquā, quantâvis fiduciâ, familiariùs excidat tibi loquenti vel agenti aliquid; quod illi, si, quod potest fieri, & tu pro eventuro habe, à te averterentur, exprobrare jure possent. *S. Franc. Xaver. Epist. nov. li. 5. ep.* 9.

*A*d fidelem aurem altissimū in pectus demissa quondam eructabuntur; dic, quæ dici aliis non curas, reliqua tace.

Eos in publico, mores prætefer, & sermones, ut spectari ab omnib9 & audiri tutò possint.

Misereri tunc quoque Deum credimus, cùm ævit; quod ex tali manu mala etiam vim gratiarum habeant. S. Xaver. Epist. nov. l. 7. ep. 7.

Pater etiam, cùm punit, amat filium; amare quippe est velle bonum. Maxima Dei ira foret, si non puniret. Cui indulgentur omnia, vel insanus est, vel depositus: uterque desperatus.

Quamdiu punit Deus, pœna sit solatio, Deum tui meminisse, nam vel peccata plectit, si malus es, vel si te bonum credis, merita vult augeri, in utroque beneficus Pater. Si vis, adversis carebis omnibus: quæ dicis adversa, dic esse Dei dona.

O magne Sancte! &c. fo. 2.

SUspecta sit imprimis iræ prolapsio, cujus irritamenta passim obvia facilè præcipitant zelo abreptos, nisi vestigium in lubrico pedetentim ponant, & in voces aculeatas erupturi ensi linguæ frœnum attrahant. S. *Xaverius. Epistol. nov. l. 6. ep. 8.*

Quotus enim quisque est, qui excandescentis reprehensoris perturbatâ increpatione fiat melior! *Ibidem.*

Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Prudentiori cedamus, stultiori geminamus. Vide, quam nulla irascendi tibi relinquatur materia, nisi facias.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

MVltum intereſt inter eos, qui rebus neceſſariis inſtructi Deo confidunt, & eos qui confiſi eodem Christi imitandi ſtudio ſpoliant ſe rebus omnibus. *S. Xaver. l. 3. ep. 4.*

*A*varus eſt, cui DEVS ſatis non eſt; providentiæ Divinæ ſinus, quem firma ſpes aperit, omnibus orbis præſtat gazophilaciis. Illius cogitatio malorũ, quæ minari poteſt paupertas, omnium iliadem profligabit.

*D*ei liberalitas exhauriri impotens, ût ſemper, ita omnibus dare potis eſt, & parata. *S*pes vicaria poſſeſſionis eſt, imò præcox dominium.

O magne Sancte! Indorum *A*poſtole, maxime orbis Thaumaturge, &c. f. 2.

OMnia circumspectè & judicio maturo constitue; cunctorum quidem, qui se tibi amicos ferunt gratè accipiens officia: non tamen cuivis facilè fidens: nec, quoad rebus ipsis perspexeris, quid quisque habeat in animo, plus te illis porrigens, quàm tutum foret. *S. Franc. Xave. Epist. nova. l. 7. ep. 7.*

Fraudis & perfidiarum plena sunt omnia: nihil in orbe rectum. Vbi tutè pedem figere possis, cautè videndum.

Falli vult, qui facilè credit. Singuli decipere & decipi possunt. Verba tuis encomiis plena fidem non faciant: audi, non applaude.

O magne *Sancte*! Indorum *Apostole*, &c. *fo.* 2.

QVod nefaria flagitia pro nihilo habeantur, Majorum vitio accidit, qui hæc ipsi peste corrupti tam fœdæ libidinis exemplum posteris relinquunt. S. *Xaver. lib.* 3. *ep.* 5.

Vbi discrimen bonos inter & malos Præsidum incuria sustulit, confusio ibi sequitur, & impunis vitiorum licentia dominatur. Initium salutis est notitia peccati, ut exterminari possit.

Quanta Præsides manet obligatio, si, quibus prodesse debebant publico ære conducti, tam graviter obsint? Impunita si sint scelera, profundas nimiùm radices agunt.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

NOn invenient pacem, ubi pax non eſt, præſertim, qui DEVM eò pertrahere nituntur, quò ipſi volunt; recuſantes eò ire, quò à DEO Domino noſtro vocantur. *S. Xav. l. 5. ep. 2.*

Vocem DEI excutere eſt ſe in aperta ſalutis pericula conjicere. Servum Domino ſubdi decet, non hunc illi. *Surdâ* conſilium Domini aure ſi pertranſis, ſecundò vocem demereris.

Conſilium eſſe dices, non præceptum: ſuadentis eſſe vocem, non præcipientis; poſſe te ſequi, non obligari. Cave has tricas; quid ſi tibi neget Deus, niſi quod obligatur?

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, maxime orbis Thaumaturge. &c. fo. 2.

Periculum est, ne à DEO Domino nostro te ad suum judicium citante audias: cur non in eos animadvertisti, qui à te authorati, tibique subditi mihi erant contrarii? cùm in eos, si negligentes deprehenderentur in vectigalibus, severè judicares. *S. Xaver. lib. 5. ep. 6.*

Hæc Præsidum conditio est sanè difficilis, quòd ut de se, ita de subditis dare cogentur rationem. Si difficile est salvari privatum, quomodo, qui præest, de salute cogitabit?

Crimina læsæ *Majestatis* capitalia sunt, & læsi *Dei* offensa laudi habeatur? Qui severum in *DEI* causa, cùm potest, non agit Judicem, *DEVM* severum experietur.

UT qui ex morte Christi acerbissima & cruciatibus dolore ardet, facilè dolorem talem inurit aliis: ita qui nimios animi sui motus domitos habet compressosque, haud sanè difficulter eosdem in aliis regere & coërcere potest. S. *Franc. Xaver. in vita lib. 6. cap. 15.*

Quam Sigillum incisam habet imaginem, sinè labore ceræ apprimit, non daturum aliam, quam non habet.

Qui se Dei legi subjecit prior, illius voci DEUS aliorum corda subjicit, ut obediant ei, qui obediens fuit Deo. Hoc est loqui victorias, quas Numen obedienti spopondit.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. folio 2.

FAciendum est diligenter, ut vestras voluntates ac judicia ad vestros Præpositos rejiciatis, planè confidentes fore, ut Deus pro sua benignitate eam illis injiciat mentem, quæ vestris rationibus conducat maximè. *S. Xav. l. 3. ep. 5.*

Cæcum ab alio duci decet, quem amor proprius nimiùm facit oculatum. Cæcus vel parvulum intrepidus sequitur; quî nos ab omniscio regi metuamus?

Se odit maximè, qui se ita amat, ut voluntati renuntiare nolit. Dolendum, quòd voluntate, quâ nihil habent pejus, nihil plùs ament improvidi mortales.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. fo. 2.

ERit vobis cordi vitia deprehensa corrigere, animumque noxiis affectibus repurgare, nimirũ quantumcunque decessio de vitiis, tanta sit honorum cœlestium accessio.
S. Xav. vita l. 5. cap. 13.

Quantùm recedimus à terrenis, tantùm accedimus ad cœlestia; quantoque plus noxiis depravatæ naturæ affectibus maledicimus, tantò uberiora de cœlo affluent solatia.

Nulla est lucis cum tenebris comparatio; quantùm crescit illa, istæ decrescunt, nec augeri potest, nisi istæ minuantur. Hos luctatores una non capit arena, alteruter corde cedat, est necesse.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

PErsuadebis, quod voles, si te, qui audiunt, amaverint, & facilè plurimos conciliabis DEO, si à te neminem abalienaveris. *S. Xav. Ep. nov. l. 5 ep. 16.*

Caput & compendium artis est iis probari, & placere, quos alloquare, & priùs parâsse claves cordium, quàm aurium aditum tentes. *Ibidem.*

Colligere favores hominum, & muscas venari par foret labor, nisi hominum favor promovendo DEI honori servire cogeretur, ne illi DEO displiceant, nos illis placere laboramus. Corda piscamur, ut capta è mari ad tutiorem portum seponamus.

O Magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

IN magno errore vivit, quisquis neglecto Deo, unde bonum omne manat, confidit ea, quibus eget, aut quæ appetit, se per homines adeptu-rum. S. Xaver. Epist. nova. l. 7. ep. 7.

Minoribus Divinus favor præ humano invenitur impendiis, & mediis facilioribus promovetur. Creaturæ, Deique discrimen nescit, qui spem locat in homine.

Umbrosus sit, quisquis sole contempto lucē à stellis emendicat; satiùs ad fontem recurritur, quàm ut tenues stillæ per cisternam mendicentur. Illuc recurre, in quo vivimus, movemur & sumus, quidquid sumus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

PErsuadebis, quod voles, i re, qui audiunt, amaverint & facilè plurimos concilia bis DEO, si à te neminem ab alienaveris. S. Xav. Ep. nov l. 5 ep. 16.

Caput & compendium art est iis probari, & placere, quo alloquare, & priùs parâsse cla ves cordium, quàm aurium a ditum tentes. Ibidem.

Colligere favores hominun & muscas venari par foret la bor, nisi hominum favor pro movendo DEI honori servir cogeretur, ne illi DEO displ ceant, nos illis placere labora mus. Corda piscamur, ut c pta è mari ad tutiorem portu seponamus.

O Magne Sancte, Indorun Apostole, &c. f. 2.

IN magno errore vivit, quisquis neglecto *Deo*, unde bonum omne manat, confidit ea, quibus eget, aut quæ appetit, se per homines adepturum. S. *Xaver. Epist. nova. li.* 7. *ep.* 7.

Minoribus Divinus favor præ humano invenitur impendiis, & mediis facilioribus promovetur. Creaturæ, Deique discrimen nescit, qui spem locat in homine.

Umbrosus sit, quisquis sole contempto lucē à stellis emendicat; satiùs ad fontem recurritur, quàm ut tenues stillæ per cisternam mendicentur. Illuc recurre, in quo vivimus, movemur & sumus, quidquid sumus.

O magne Sancte! Indorum Apostole, &c. f. 2.

NEminem patiaris amicorum tuorum mitti ad regias pecunias, & negotia tractanda; nam de illis verè illud scriptum capere liceat: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur. S. Xaverius libr. 5. episto. 7.*

Infausta conditio pecunias versantium. Inter aquas non tingi, & inter lucri etiam injusti occasiones non tangi par est miraculum.

Non est, quid dissimulo, è millibus unus, qui auri cupidine, occasione sic suadente, non vincatur. Semper aliquid adhæret. Plures prætextus, quàm plicas habent marsupia.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. fo. 2.

EVangelicæ paupertatis expertes, cœleſtium donorũ, deliciarumque inopiâ laborare eſt neceſſe. S. *Xav. ap. Trink. ren.* 2. *die* 3.

Neſcimus æſtimare res, de quibus non cum opinione hominum, ſed cum rerum natura deliberandum. Nihil illæ bonum, nihil habent magnificũ, niſi quòd affectus noſtros trahant.

Non qui parùm habet, ſed qui plùs, quàm habeat, cupit, pauper eſt. Vis eſſe dives? in promptu eſt: cupiditatem refrœna. Si neceſſitatem attendas, multis: ſi virtutem, omnibus carere potes.

O magne Sancte! Indorum Apoſtole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

EGo verò soleo ulcisci non benè de me meritos, quibus possum eos beneficiis prosequendo. Nam pœnæ, quas merentur, à Deo non decerunt. *S. Xaver. Epist. nov. l. 7. ep. 7.*

Tutiùs est inimico ignoscere, quàm ab illo vindictam sumere, imò & faciliùs; ignoscere potes, nec movendo pedem: ulcisci vix absque discrimine. Si parcis illi, parcis & tibi, utrique munificus.

Imbellis est animus, quem obvia fatigat injuria. Nullum est argumentum virtutis certius, quàm nihil adversùm te, quo movearis, accidere posse.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

Adjuro te ac obtestor, quàm possum efficacissimè, ne ulla inter vos extet animorum dissensio, altercatio verborum, simultatis initium, aut species; sed mutuis potiùs significationibus conjunctissimæ semper voluntatis, summique invicem amoris testatissima germanitas, unanimis conspiratio. *S. Xav. ap. Nad. sig. 6. præd. l. 5. ep. 8.*

Divisus exercitus victoriam desperet; hostium præda fiet, quem prior vicit dissensio. Si hostis mentes dividat, imperabit. Nihil adeò firmum, quòd discordia non possit infirmare. Omnia unione subsistunt, ablatâ pereunt.

O magne Sancte, Indorum Apostole, &c. f. 2.

Divinæ legis notitiam omnes à natura, naturæque authore Deo habent, priusquam accedat disciplina. *S. Xaver. lib. 4. epist. 1.*

Inexcusabiles sumus; ea naturæ authoris in creaturas providentia est, ut lumen accenderet singulis, quâ bonum à malo secernere, si velint, possint. Ipsi spontaneas accimus tenebras.

Durum est contra hunc stimulum calcitrare; mordet reum conscientia, tortoreque omni pejus crimen admissum premit nocentem. Interna vulnera non ferunt cicatricem, etiam curata recrudescunt. Dum differtur medela, crescunt mala.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

CUm DEVS Dominus noster sub sua ditione teneat omnia, à nullo eorum quidquam timeo: Deum ipsum metuo solum, ne ob meam in ejus obsequio negligentiam justè me castigandum decernat. *S. Xaver. lib. 5. ep.* 11.

Obfirmandus in *Dei* obsequio est animus, ut ille metuatur, qui Dominus est vitæ ac mortis, extra illum nemo: non hostis, non *Rex*, non æmulus, non ullus.

Contemni non debent hostes, sed nec timeri; nec capillum capitis turbabunt. *Deum* time, cæteros ride. Illi corpori, non animæ, id est, non tibi, sed hosti nocere possunt.

O magne Sancte! Indorum *Apostole*, &c. f. 2.

NOn credit populus *Dei* charitate accendi fervorem hominum in peccãtes impotenter debacchantium certo inde teneri experimento arbitrantur eo ipso aliis similes, & non secùs ac plebejas animas vehemẽtium affectuũ agi, ferrique intemperie. *S. Xav. Ep. nov. l.* 5. *ep.* 8.

Cetea hominum corda crede; ad solis allucentis calorem mollescunt usque ad lachrimas; leones ipsi ligantur filo, qui catenas ferro graves in frusta discerpsissent.

*A*deò verba dulcia multùm possunt; sed si verbis pondus accedat ab opere, possunt omnia.

O magne Sancte! *Indorum* Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. f. 2.

STudiosè nobis danda est opera, ut farciamus vitæ nostræ brevitatem multitudine, præstantiâque rectè factorum. *S. Xaver. apud Trinkell. die* I.

Quorsum hic, quem claudimus, annus avolavit? Festinemus, velocitate bene factorum pensemus temporis brevitatem. Nemo quàm bene vivat, sed quàm diu curat, cùm omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu, nulli.

Quot hoc anno fluxêre momenta, quorum quodlibet est momenti summi? pro quolibet expecta, si benè actum est, præmium: si malè, supplicium.

O magne Sancte! Indorum Apostole, maxime orbis Thaumaturge. &c. folio 2.



Fasti Xaveriani.

1. JAn. 1546. S. Xaverius solvit Malacâ Molucum.

3. Jan. 1634. Neapoli contigit prodigiosa sanatio Pat. Marcelli Mastrilli S. J.

12. Jan. 1544. S. Xaverius Cocino Societati Romam scribit de miris cœli delitiis, quibus perfundebatur inter labores.

13. Jan.

13. Jan. 1548. Venit Malacâ Cocinum.

14. Jan. 1549. Scribit flectens litteras S. P. Ignatio.

17. Janu. 1546. Appulit Amboinum.

23. Janu. 1552. Cocinum appulit.

27. Jan. 1545. Cocino Romam ſcribens teſtatur ſpatio unius menſis à ſe plus quàm 10000. hominum baptizata.

29. Jan. 1552. Cocino Romam dat litteras cum inſcriptione: Meo in Chriſto Sancto Patri Ignatio.

14. Feb. 1546. Malacâ solvit Amboinum.

16. Feb. 1546. Amboinum appulit, ubi contigit miraculum cancri referentis crucem.

3. Mart. Inchoari solet in Lusitania Novena Xaveriana, seu publica devotio per continuos novem dies cum indulgentiis ab Alexandro VII. concessis.

12. Mart. 1622. S. Xaverius à Greg. XV. canonizatus est.

Eâdem die 1658 S. Xaverius miraculosè sanavit AlexandrumPhi-

lippu.

lippucium S. J. Scho-

15. Mart. 1530. creatur Doctor philoſophiæ Pariſiis, quam ibidem ultra 3. annos docuit.

Eâdem die 1540. à S. Ignatio deſignatus & monitus eſt pro itinere in Indias; cui promptè ille obſequens poſtridie, id eſt

16. Martii 1540. Indiam petiturus Româ diſcedit.

21. Mart. 1540. In Indiam proficiſcens Lauretum inviſit.

7. Apri. 1541. Olyſſipone ſolvit in Indiam.

15. Apr.

15. Apr. 1552. solvit Goâ Sinas aditurus

26. Apri 1549. Cocino Malacam ſolvit.

6. Maji 1542. Venit in Indiam.

18. Maji 1653. Neapoli prodigioſa vultûs mutatio in imagine S. Xaverii.

31. Maji 1549. Malacam appulit

1. Jun. 1546. Malacâ Amboinum versùs diſcedit.

8. Jun. 1622. Indulgentiæ plenariæ perpetuæ pro ejus feſto datæ.

24. Jun. 1537. Venetiis Sacerdotio

cerdotio initiatur.
Eâdem die 1549. Malacâ
solvit in Japoniam.
31. Julii. 1556. Moritur
Sancti in Christo Filii
Xaverii S. P. Ignatius.
15. Aug 1534. Prima vota emittit Parisiis in
monte Martyrum.
Eâdem die 1549 Primùm
in Japoniam venit.
25. Septe 1545 Malacam
advenit multis miraculis ejus illustrem.
29. Sep. 1548. celebrans
dæmones compescit.
30. Sept. Festum S. Hieronymi, qui An. 1537.
Vicetiæ San. Xaverio
specta,

ſpectabilis, ei futura quædam prædixit.

4. Octob. Dies Nominis S. Franciſci Xaverii. Natus eſt Anno 1497.

25. Octo. 1619. à Paulo V. beatificatur & conceditur Officium ac Miſſa de ipſo.

20. Nov. 1551. Redit ex Japonia.

Eâdem die 1552. Ultimum ſacrum legit, quod erat pro defunctis.


2. Dec. 1552, Quæ erat feria 6. ſanctè moritur in Inſula Sanciano.

3. Dec. celebratur feſtum ejus in Eccleſia.

4. Dec.

4. Dec. 1547. In concione narrat Christianorum victoriam, quæ procul inde contigerat.

21. Dec. Festum S. Thomæ Apo. qui creditur prædixisse adventum S. Xaverii in Indias.



INDEX.

INDEX.

A

nu, 29. Juni, 13. Sept.
V. Morbus.
Equanimitas. 2. Sept.
Etas, 1. Sept.
Affabilitas. 2. April, 30. Maij. 19. Oct, 6. Nov. 10. Nov.
Aliena bona 20, Janua. V. Rapina.
Amicus 25. Jan. 8. Iun. 26. Octo.
Amor Dei. 4. Febr. 27. Feb. 18. Maij. 5. Iul.
Amor proximi, 29. Apr.
Amor sui ipsius, 26 Febr.
Animæ salus. 3. Ian 26. Maij. 16. Iun. 21. Iun. 27. Iun. 18. Iul. 19. Iul. 4. Sept.

Anni

Caſti-

Adversitas.
Cura sui. 11. Ian. 4 Apr. 20. Apri. 25. Apri. 8. Iul 1. Nov. 2 Nov.
Cura temporalium. 4. Ian. 6. Ian 24 Ianu. V. Temporalium cura.

D

Dæmon 25 Maij. 15. Iun. 20. Iun. 14. Sept. 25. Sep. 25. Octo.
Detractio. V. contumelia.
Devotio. 31. Iul.
Deus bonus. 4. Fe. 6. Fe. Justus 28. Apr. 5. No. Liberalis. 24. Ian. 16. Mar. Longanimis 19. Ian. Ejus providentia,

 26. Ian.

E

Indul-

N

Paupe-

R

S

10. Mai.

19. Iul.
Superbia. 28. Martii. 14.
Apr. 25. Maj 22. Aug.
9. Nove.
Superioratus 23. Oct. 18.
Dec.
Superior sit affabilis 2.
Apr. 11. Iul 10. Nove.
12. Nove. benevolus.
1. Mar. 3. Au. 15. Aug.
disciplinæ amans. 13.
Ian. 18. Ian. 2. Jun. 9.
Iun. 15. Sep. 3. Oct. 20.
Nov. V. Severitas ex-
emplaris. 30. Mart. 27.
Maj. 15. Iul. 3. Augu.
Longanimis. 19. Apr.
6. Iun. Mitis. 18. Iuni.
4. Aug. 27. Aug. 12.
Nov.

Dec.
Tribulatio. V. Adversitas. Crux.
Tristitia. 28. Ian. 11. Sep.

V

Vana gloria. 26. Sept. 11. Octo.
Vanitas. 23. Maj. 24. Iun.
Veritas. 31. Aug. 1. Oct.
Victoria sui. 18. April 12. Maj 4. Dec. V. Abnegatio. Mortificatio.
Victoria hostium. 3. Iun.
Vile officium. 15. Maij. 22 Octo.
Vita communis. 20. Maj. 22. Aug.
Vita hominis. 4. Ianua. 16. Apr. 7. Iun 28. Sep. 1. Dec.

Z

Ian. 26. Iuli. 20. Sept. 30. Octob.

Zelus indiſcretus. 5. Iul. 1, Aug, 7. Sep. 28. Oct.

Ad

M. D. G. B. V.

MARIÆ.

& S. FRANCISCI

Xaverij

Patroni mei

Honorem.







